

Johann Nicolaus Mislér Gottfried Voigt

**Disputatio Theologica Inauguralis De Calice Et Mensa Domini Ac Daemoniorum,  
Ad I. Corinth. X, 21**

[Gießen]: Kargerus, 1678

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791355772>

Druck Freier  Zugang



DISPUTATIO THEOLOGICA  
INAUGURALIS  
DE

Landes-Bibliothek  
Rostock i. M.

*Diss. theol.*  
CALICE ET  
MENSA DOMINI  
AC DÆMONIORUM,  
Ad I. Corinth. X, 21,

*de*  
QUAM  
In Inclita GIESSENSI ACADEMIA,  
Supremo annuente Numine

Et  
Venerando Collegio Theologico consentiente,

PRÆSIDE  
VIRO MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO ATQ;  
EXCELLENTISSIMO

DN. D. JOH. NICOLAO  
MISLERO,

Theologo de Ecclesiâ CHRISTI præclarissimè merito,  
Professore Primario, Diœceseos Giesensis & Marpurgensis *Hasso-*  
*Darmstadina* Superintendente Vigilantissimo, Collegii Theo-  
logici h. t. DECANO spectatissimo,  
*13 Theol. 4004 Caps. 4. 30*  
Parente in CHRISTO demissè observando,

PRO CONSEQUENDIS RITE HONORIBUS DOCTORIS THEOLOGI,  
Publico Excellentissimorum Dna. Professorum examini,  
eâ, quâ par est, reverentiâ submitto

GOTHOFREDUS VOIGTIUS,

ic. Misn. Illustr. Gymn. Mechlenb. quod Gûltrovii est, Rector,  
*In Auditorio solenni A. D. 6. Junii.*

EX TIPOGR. ACAD. ORDIN. B. KARGERI, A. C. MDC LXXVIII

  
S E R E N I S S I M O  
P R I N C I P I A C D O M I N O ,  
D O M I N O G U S T A V O  
A D O L P H O ,  
D U C I M E C H L E N B U R G I C O ,  
P R I N C I P I V A N D A L O R U M , S U E R I N I  
E T R A C E B U R G I ,  
C O M I T I I T E M S U E R I N E N S I ,  
T E R R A R U M R O S T O C H I I & S T A R G A R D I Æ  
D O M I N O ,  
P R I N C I P I A C D O M I N O M E O  
C L E M E N T I S S I M O

S.

SERENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTISSIME,



Uam obstrictus Serenitati TUÆ  
sim, mente facilius, quàm verbis licet as-  
sequi. Nam per undecim quasi annos me  
non solum stipendio satis amplo beni-  
gnissimè sustentasti, sed etiam ab iis, qui  
mihi minus bene cupere visi sunt, egregie  
semper defendisti. Multa præterea alia  
singularis TUÆ in me elementiarum existi-  
terunt monumenta, quæ meâ prædicatio-  
ne adæquatum ire, nihil aliud est, quam  
deterere eorum magnitudinem velle. Inter illa verò nescio annon pri-  
mum sit (ultimum certè non est: quid enim inter summa, cujusmodi  
TUA beneficia sunt, posset esse ultimum?) quod, ut ad summos in  
Theologiâ honores aspirarem, mihi non solum liberalissimè concess-  
isti, sed dubitantem etiam ferè impulisti honorificentissimâ de isto  
meo animo gratulatione amplissimâq; promissione de tuendâ illâ di-  
gnitate. Atque in eâ mente etiam tum perseverasti, cum superioribus  
diebus facultatem à TE abeundi in superiorem Germaniam animiq;  
mei propositum tandem extequendi, demississimè peterem, & sine ullâ  
difficultate impetrarem. Sic igitur DEI ductu, & TUO, SERE-  
NISSIME PRINCEPS, permisso, de consilio Mæcenatum meorum,  
virorum de Ecclesiâ, Aulâ & Rep. Mechlenburgicâ præclare merito-  
rum, Güstrovio discessi, Gießamque petii, quæ mihi Academia multis  
de causis placuit. Cumque eò venissem & maximè venerando Col-  
legio Theologico desiderium meum reverenter aperuissem, nullâ in-  
terpositâ

terpositâ mora, quod intendi, affecutus sum; aditum nempe ad habendam Disputationem inauguralem, & qui eam consequuntur, honores à Doctore Theologo proximos. Nunc nihil restat, nisi ut illustris TUÆ in me benignitatis meique vicissim in TE animi demissè grati obsequentissimiq; publicum aliquod exstet monumentum. quod quidem nunc promittere, sed tum demum statuere aliquâ ex parte possum, quando occasio divinitus mihi oblata fuerit, commentariolos meos literis prodendi. Interea ne ingratus omnino viderer, cum gratus esse non possim, hanc ipsam Serenissimo TUO Nomini inscribere Disputationem, intercriptamq; ante pedes TUOS subjectissimè deponere volui, certâ spe fretus, fore, ut alter veluti animo & gloriâ Artaxerxes Sinatæ TUI vile licet munusculum non aspernaberis. In quo ne mea me spes fallat, etsi TUA me Clementia non sinit metuerè, tamen quâ possum pietate rogo, TUÆq; juxta tutelæ me demississimè commendo. Addo votum: DEUS TE seruet, PRINCEPS SERENISSIME, per multos annos incolumem atque florentem, Domuiq; TUÆ largiatur perpetuitatem! Vale. Scrib. Giesæ Kalendis Junii, A. C. 1678.

## SERENITATI TUÆ

*Demississimè subjectiss.*  
GOTTFREDUS VOIGTIUS.

In



In Nomine Domini JESU!  
**EXERCITATIO THEOLOGICA**  
**DE CALICE ET MENSA**  
**DOMINI AC DÆMONIORUM,**  
 ad I. Corinth. X, 21.

VERBA APOSTOLI.

Οὐ δύνασθε πόλιγγιον Κυρίου πίνειν καὶ πόλιγγιον δαιμονίων· εἰ δὲ  
 νασθε ἰραπέζης Κυρίου μελέχων καὶ ἰραπέζης δαιμονίων.

VERSIO LATINA VULGATA.

Non potestis calicem Domini bibere, & ca-  
 licem dæmoniorum: non potestis mensæ Domi-  
 ni participes esse & mensæ dæmoniorum.

SECTIO I. HISTORICA.

I.



Sraëlitas accepimus, *facto sa-  
 crificio, agere solitos convivia* Exod XVIII,  
 12. Deut. XII, 7. XXVII, 7. I. Sam. I, 4. 5.  
 IX, 13. XVI, 5. II. I. Reg. III, 15. quod idem  
 καποζηνία quâdam factitasse constat Eth-  
 nicos, Moabitas Num, XXV, 2. Psal, CV,  
 28. Philistæos Judic. XVI, 23. Græcos,  
 Romanos, aliosque, ut exempla Aga-  
 memnonis *α.α.* Nestoris *α.γ.* Evandri *Virgil.* VIII. *Æn.* v. 182. 183.  
 Argonautarum ap. *Apollon.* lib. I. Cleonis ap. *Plutarch.* in Nicia f.  
 527. & aliorum docent. Inprimis verò Thessalica Tempe ejus-  
 modi abundabant conviviis, teste *Aliano* lib. III. var. hist. cap. r.  
 p. 61. ex quo simul videre licet, invitatos ad illa fuisse cognatos, fa-  
 miliares

A

miliares, amicos, vicinos, quod etiam de Agamemnonis sacrificio epulari *Hom. Il. β* & de Nestoris idem *Od. γ.* & *Ath. δεῖπνος. l. i. f. 9.* prodiderunt, planè ut apud Judæos *Deut. XII, XIV, XVI. Lev. VII.* Parabantur a. illa ex quibusdā sacrificii partibus, quæ *μεγίδες* dictæ, Latinis interdum *Missæ* *Od. γ. v. 9.* *Ovid. XII. Metam. fab. 4. v. 150. seq.* ubi observandum, partem illam extorum, quæ in aram vel focum dabatur, *Prosectam* aut *Proficiem* dictam, per quam cætera quoq; Diis sacra erant. Id quod ex consuetudine Judæorum etiam manasse, nemo negabit, qui leget *Levit. VII, 15. 16. 17. 18. Deut. XII, 7, 17, 18. Ezech. XLVI, 20, 21, 22, 23, 24.*

II. *Locus*, ubi sacra ista convivia celebrata, non unus semper idemque erat. Interdum agebantur extra templum, ut videtur est ap. *Plutarch.* in *Dione* f. 967. interdum in templo, ut docet historia *Cleobis & Bitonis* ap. *Herod.* in *Clio* cap. 31. f. 12. Quemadmodum verò Judæi non super altari, sed mensis eam in rem paratis sua agitabant convivia; ita & gentilibus suæ eum in finem erant mensæ sacræ, veriùs superstitiosæ, Græcis *θυσιαὶ* vocatæ, quarum creberrima apud auctores fit mentio. *Suidas & Hesych:* in voce *θυσιαί*, *Diog. Laërt.* in *Pherecyd.* p. 84. *Pollux.* *Onomast.* lib. IV. cap. 19. de partib. *Theatr.* p. 227. *Varin. Phavorin.* *Lex.* f. 918. Atque in istis epulari solebant, ut ex *Hesychio* constat, cui *θυσιαὶ* dicitur est *ἐπιμαχία*, in sacrâ mensâ epulari. Neque verò existimandum est, mensas illas epulares coram idolis fuisse paratas, quod Pontificii temerè sibi persuadent. Erant gentilibus in templis *coenacula*, ubi mensæ, ubi convivia sacra instructa, ut deinceps ostendam. Atque eò ire solitos Corinthios, ex *I. Cor. VIII, 10.* non ad eò obscurum est intelligere. Quod ipsum etiam *Chrysofostomus* docet *homil. XX.* in *I. Cor. VIII. f. 490.* Verùm non solum in templis vel aliis locis, ubi sacra fiebant, epulæ istæ consumebantur; veniebant etiam in *privatas domos* partes de sacrificiis, eò vel asportatæ ab iis, qui sacrificiis interfuerant, vel missæ ab amicis. Utrumque docet *Antiquitas.* Illud *Aristoph.* in *Plut. I, 2* & *Scholias*tes in h. l. Hoc *Plutarch.* in *Agésilao* f. 605. Atque hæc epula *privata* erant, ad eò frequentatæ, ut rarè admodum veteres solerent carnes ex majoribus animalibus ad vescendum usurpare, nisi Deo alicui immolatas. Qui secus facerent, etiam proverbio

verbio

verbio reprehensū, quō notabantur tanquam impii & ἀδύνατοι  
καὶ δίοιοι. Ipsa animalia, quibus vescerentur, ut oves, boves,  
sues & similia, ἰεγεῖα eā ex re vocata passim apud auctores.

III. Atque ad has *epulas privatas*, de extis & reliquiis sa-  
crificiorum, domum deportatis vel missis, paratas respicit Apo-  
stolus potissimum commate 27. & 28. suffragante *Chrysostrōmo* in  
h. l. homil. XXV. f. 540. ad *publicas* autem, quæ in templis, sed  
non coram idolis, fiebant, (privatis tamen non omninō exclusis,  
in primis si cum scandalo conjunctæ essent, ut patet ex comm. 28.)  
comm. 21. easque vocat *τράπεζαν δαιμονίων*, mensam demoniorum.  
Addit & *καλίκιον δαιμονίων*, calicem demoniorum. Quippe & de  
poculis libatis in illis conviviis bibebant. Utrumque abhorre-  
bant Christiani religiosi, memores præcepti hujus Apostolici, ut  
ex *Justini* dial. cum Tryphone f. 253. *Irenæi* lib. I. adv. Hær. cap. 12  
f. 27. *Tertulliani* lib. de spectac. f. 696. *Clementis Romani* Constit.  
Apostol. lib. VII. cap. 22. Tom. 1. Concil. Surii f. 101. *Clementis*  
*Alexandrini* Pædag. lib. II. f. 143. *Minutii Felicis* Octavio p. 337.  
376. *Origenis* lib. VIII. contr. Cels. f. 796. *Cypriani* serm. 5. de  
lapsis f. 153. *Concilii Ancyrani* cap. IV. Tom. I. Concil. illustrat.  
Ruel. f. 1105. *Gangrensis* cap. II. Tom. I. Biblioth. Justelli f. 41. &  
278. *Cyrilli Hierosol.* Catech. 4. tit. καὶ βραμίων, *Chrysostrōmi* ho-  
mil. XX. in I. Cor. VIII. f. 490. *Augustini* lib. XXXII. contr. Faust.  
Manich. cap. 13. Tom. VI. op. f. 483. *Leonis Papæ* epist. 79. ad Ni-  
cetam Aquilejens. Episc. f. 131. & epist. 92. ad Rusticum Narbo-  
nens. Episc. f. 146. *Concilii Aurelianensis* II. can. 20. Tom. XI. Con-  
cil. Paris. edit. f. 164. & 17. c. 15. Tom. eod. f. 622. *Procopii* comm.  
in Esaiæ 22. f. 166. *Beda* lib. II. in Marcum cap. 7. f. 72. *Photii* No-  
mocanone tit. XIII. cap. 13. Tom. II. Bibl. Justel. f. 1114. & aliis vi-  
dere licet. Hæreticis contra religionem non erat, vesci idolothytis,  
quod de Valentiniānis, testatur *Irenæus* l. c. de iisdem, & Marcio-  
niticis, Basilidianis, Saturnianis, *Justinus* l. c. Nec Lapsi ab iis se ab-  
stinabant, quibus propterea non statim dandam pacem & com-  
munionem censet *Cyprianus* l. c.

IV. Istis verò mensis & poculis demoniorum Apostolus h. l.  
opponit mensam & calicem Domini. Respicit nimirum ad ult-  
timam Christi cœnam, ubi Dominus affidens mensæ, Luc. XXII,

4  
et. accepit panem poculumque, ac suis distribuit, eoque ipso sa-  
ceramentum Eucharistiæ instituit, Matth. XXVI. Marc. XIV.

V. Quam mensam Christus usus fuerit, ligneam an lapideam, incertum est. *Chrysostomus* argenteam fuisse negat. homil. LI. in Matth. f. 455. *ἐκ τῆς ἰν ἡ ἰσὴρα ἔξ ἀργύρου, non erat illa mensa argentea.* Nempe quia in communi diversorio erat, ex quo etiam colligere licet, fuisse mensam communem, non altare. In diversoriis enim non solebant sacrificare; nec Christus sacrificabat.

VI. Christum secuta Ecclesia orthodoxa sequentium seculorum. Hanc enim altaribus propriè dictis ad S. Eucharistiæ usam non esse, non tantum ratio colligit ex negatis sacrificiis externis & propriè ita dictis, cujusmodi DEO facienda Christiani orthodoxi inde ab initio ignorarunt; sed auctoritas etiam credere jubet *Minutii Felicis* in Octavio p. 334. *Origenis* lib. VIII. contr. Cell. Part. II. oper. f. 794. *Arnobii* lib. VI. p. 237. *Cyrilli Alexandr.* contr. Julian. lib. X. f. 248. 249. qui negant, Christianis suæ ætatis fuisse altaria propriè ita appellata.

VII. Adhibuerunt quidem mensas, partim fixas, teste *Hieronymo* contr. Vigilant. Tom. II. f. 123. *Prudentio* in Vincentio v. 517, 518. Eulal. v. 211, 212. Hippol. coron. v. 170. 171. *Paulino Nolan.* lib. II. epist. IV. ad Sever. Tom. II. orthodox. f. 134. *Concilio Carthaginens.* V. (vulgò VI) can. 14. ap. Justel. Bibl. Jur. Can. Tom. I. f. 370. *Sidonio Apollinari* lib. VII. ep. VI. ad Basil. p. 146. *Beda* lib. V. Hist. Eccl. Anglor. cap. 17. Tom. III. oper. f. 181. (quod tamen de primis Christianis ante Constantinum M. probabiliter dici vix potest, si eorum vagationes, templorum defectum, & *Origenis* testimonium lib. VIII. contra Cell. f. 795. spectemus;) partim mobiles, teste *Optato Milev.* lib. VI. contr. Parmen. p. 163. *Auctore epist. ad solitariam vitam agentes* inter opera Athanasii Tom. I. f. 656. & *Quæstionum V. & N. T.* inter opera Augustini Tom. IV. quæst. Cl. f. 779. easque cum ligneas *Optat. Mil.* l. c. *Augustin.* lib. III. contra Crescon. Gramm. T. VII. f. 267. & epist. L. Tom. II. f. 220. tum lapideas *Greg. Nyssen.* lib. de Baptism. f. 257. *Chrysost.* homil. XX. in 2. Corinth. VIII. *Prudent.* hymn. 9. de S. *Cassian.* *Sidon.* *Apollin.* l. c. metallicas denique *Sozom.* Hist. Eccl. lib. IX. cap. I. f. 117. *Censur. Magdeb.* XIII. f. 294. 306. ex Urspergens. Para-

Paralip. & Naucleo, *Concil.* edit. Paris. Tom. VII. f. 1. 2. T. IX. f. 455. T. XX. f. 196. 198. 206. 207. Superficie planâ *Canon. Apostol.* III. Diatyp. *Concil. Nicen.* de Cœna, *Optat. Milev.* l. c. figurâ fortè quadrangulâ *Sozom.* H. E. lib. IX. cap. II. f. 118. *Beda* l. c. suppositâ interdum lapidum mole *Sidon.* l. c. *Concil. Carthag.* l. c. interdum columnis, unâ vel pluribus, tanquam fulcris seu pedibus, quibus sustentabantur *Synes.* in fin. *Catasta.* f. 303. ita ut subtus essent cavæ *Ruffin.* Hist. Eccl. lib. I. cap. 12. f. 207. *Sozom.* H. E. lib. VIII. c. 7. f. 108. *Augustin.* l. c. fitas ut plurimum in medio templi. *Euseb.* Hist. Eccl. lib. X. cap. 4. f. 111. *Augustin.* de verb. Domin. secundum Johann. homil. 46. Tom. X. f. 175. nec unâ plures in uno *Ignat.* epist. VI. ad Philadelph. Tom. I. Orth. f. 33. *Euseb.* l. c.

VIII. Atque has mensas consecrare etiam postea solebant; primum quidem Episcopi & Presbyteri promiscue *Concil. Agathens.* cap. 29. conf. *Blondell.* de Episc. & Presbyt. p. 152. & p. 285. *Hieron.* epist. 85. ad Evagr. deinde soli Episcopi *Concil. Hissal.* can. 7. Tom. XIV. *Concil.* Paris. edit. f. 430. 431. *Bracaren.* can. 37. *Concil. Illustr.* Tom. III. p. 702. *Dionys.* Hierarch. Eccl. cap. V. p. 188. Idque primo earum usu, adhibitis nempe (a) precibus & hymnis *Gregor. Nyssen.* l. c. *Euseb.* H. E. lib. X. cap. III. f. 107. lib. IV. de vit. Conf. M. cap. 45. f. 153. b. *Concil. Agathens.* can. 10. *Ambros.* Tom. I. f. 116. *August.* de Temp. homil. 256. (b.) S. Eucharistiæ celebratione, *Chryso.* homil. XX. in 2. Corinth. VIII. f. 886. *Euseb.* H. E. lib. X. c. c. Quibus tandem superaddita (γ.) unctio, *Dionys.* cap. III. Hier. Eccl. p. 176. 177. *Concil. Agathens.* cap. 10. *Epaunens.* can. 26. & (δ.) reliquiarum sanctorum sub iis recondi solitarum; quas tamen ad omnium mensarum sacrarum consecrationem fuisse adhibitas non evincit *Concilii Carthag.* V. canon. 14. insertus Decreto de Consecrat. dist. I. c. Placuit.

IX. Ornabant etiam eas (1) tapetibus & supellecile pretiosâ, *Theodorit.* Hist. Eccl. lib. I. cap. 31. f. 295. *Hieron.* ad Demetr. de virginitate servandâ T. I. f. 69. *Chryso.* homil. LI. in Matth. f. 456. (2) Signo crucis, *Sozom.* H. E. lib. II. cap. 3. f. 22. (3) linteis, *Optat. Milev.* l. c. *Victor Vicens.* persecut. Afr. lib. I. Tom. I. Orthodox. f. 804. (4) floribus, *Augustin.* lib. XXII. de Civ. D. c. 8. T. V. f. 1346.

X. Nec minùs honorificè tractabant cùm verbis, appellantes ἱερὰν ῥητορικὰν *Conc. Nic. l. c. Greg. Nazianz. Orat. IV. f. 110. Ἱερὰν ῥητορικὰν Id. Orat. XX. f. 351. Ἱουσιανῶν Ἰδίων Theodorit. H. E. lib. I. cap. 31. f. 295. σεμνὸν Euseb. H. E. lib. X. c. 4. f. 113. σεβασμιῶν Naz. Orat. XIX. in Patrem f. 292. &c. tum reipsà, honorantes eas, non quidem flexis genibus, ut ex *Tertull. lib. de pœnit. temerè colligit Beat. Rhenanus* super h. l. f. 475. sed (1) ornamentis variis, ut modò dictum, (2) osculis, *Ambros. lib. V. epist. 33. ad Marcellinam Tom. III. f. 131. (3) Cancellis, Euseb. lib. X. c. 4. f. 111. (4) munditiè Chrysof. homil. III. in Eph. II. f. 1052. (5) ἀουλιᾶς jure Naz. Orat. XX. in Basil. f. 353. Chrysof. in Eutrop. Tom. VIII. edit. Etonen. f. 69. quo tamen initio, cum adhuc legitimus illius usus vigeret, non gravissè promiscuè omnes supplices sunt, sed tantùm innocentes, vel non planè fontes, ut videre est partim è legibus I. Judæi I. C. de his qui ad Eccles. confugiunt, Novell. 17. cap. 7. & Novell. 37. partim ex exemplis, nobilis illius feminz ap. *Nazianz. l. c. Alexandri Episc. Alex. Ruffin. H. E. lib. I. cap. 12. f. 207. Maximiani Episc. Bagaiensis Augustin. l. 3. contr. Crescon. Gramm. T. VII. f. 267. Pentadiæ & aliorum Sozom. lib. VIII. c. 7. f. 108. sanctorum quoque nonnullorum Act. V. Concil. Constant. A. C. 536. habiti Tom. XI. Concil. Paris. f. 312. &c. at postea, magno certo abusu, sceleratissimi quique admissi can. constituimus 36. caus. 17. qu. IV. & can. de raptoribus 3. caus. 36. q. 1. & Decretal. de Immunitate Eccles. cap. Inter alia VI.***

XI. Exstruebant autem illas non hominibus, sed soli Deo *Augustin. lib. X. de C. D. cap. 4. f. 541. & lib. VIII. c. 27. f. 492. & lib. XXII. cap. 10. f. 1355. & in Enarr. in ps. 94. Tom. VIII. f. 1065. Fulgent. lib. II. ad Monim. p. 81. & primariò quidem (1) propter Dei gloriam August. lib. VIII. de C. D. c. 27. f. 492. celebratam sacrificiis non propriè dictis, quæ veteres Christiani prorsus ignorabant; sed mysticis & metaphoricis, nempe precibus *Optat. lib. II. adv. Parm. p. 63. & VI. p. 163. Ambros. Exhort. ad Virgin. T. I. f. 116. & hymnis August. Retract. lib. II. cap. 11. T. I. f. 44. Sidon. Apollin. lib. IV. epist. 11. ad Petrejum: (2) ad commodiorem S. cœnz præparationem, consecrationem, & dispensationem Tertull. de Orat. f. 793. Gregor. Nazianz. Orat. in Gorgon. Ambros. lib. de iis qui myster.**

myster. init. c. 8. Tom. IV. f. 427. *Optat. Mil. l. c. Chrysof. in 1. Cor. X. hom. 24. f. 538. & homil. XX. in 2. Corinth. VIII. f. 886. Augustin. Tr. 26. in Joh. T. IX. f. 227.* Secundariò verò cum propter oblationes *Optat. l. c.* tum propter consecrationes variarum rerum: *Cyprian. lib. 1. epist. 12. f. 28. Pseudo-Dionys. Hierareh. Eccl. cap. IV. p. 162. & V. p. 194. Ambros. lib. I. de Virgin. T. I. f. 78.*

XII. Et propter hæc sacrificia mystica, cum dispensatione corporis & sanguinis Domini, tanquam sanctissimi sacrificii conjuncta, veteres inde ab initio ferè & jam ante *Cyprianum*, (quod temerè negat *Molinæus* de altar. & sacrif. cap. 9. p. 85.) & postea per omnia secula mensas istas vocarunt ALTARIA: non propriè, sed *impropriè*, ut dictum, ad imitationem V. T. cujus voces ad res N. T. accommodare, scripturâ duce, soliti sunt SS. Patres; & ne Ethnicis, quibus in aris & sacrificiis omnis ferè posita religio fuit, viderentur à Deo, quo ita facilius eos ad fidem Christianam amplectendam allicere possent. Hactenus mensæ.

XIII. Sequitur Calix Domini, quem cum mensâ copulat Apostolus. Quàm certum autem, Christum usum poculo esse ex Matth. XXVI. 27. Marc. XIV. 23. Luc. XXII. 17. 20. tam incertum, quæ ejus materia fuerit & forma. *Baronius* quidem ad A. C. 34. n. 63. Bedæ innixus testimonio ex lib. de locis sanctis, calicem argenteum scribit fuisse, duas habentem ansulas, & sextarii Gallici mensuram capientem. Sed fallit & fallitur, ejusmodi scriptoris innixus testimonio, cujus facilitatem in credendis multis, quæ priora secula non crediderant, admodum suspectam habent cordatiores. Ac si non alius, is certè ejus liber, qui de locis sanctis est, fabularum plenus est. Vid. *Casaub. Exerc. XVI. ad Baron. n. 138. p. 472. & Exerc. II. n. 3. p. 124.* Videat autem *Baronius*, vel quis quis cum eo facit, quid respondendum putet *Chrysofomo*, qui calicem Domini non Physicè, sed mysticè pretiosum fuisse asseverat, atque ex metallo nobiliore factum disertè negat homil. LI. in Matth. f. 455.

XIV. Christum secuti Apostoli pocula quidem adhibuerunt, vel solo Paulo teste 1. Cor. X. 16, 21. XI. 26, 27, 28. Verùm quæ ratio eorum fuerit, nemini puto cognitum satis atque perspectum esse. Et licet *Honorius* in Gemmâ animæ lib. I. cap. 89. scribat,

scribat, Apostolos & eorum successores in ligneis calicibus Missas celebrasse; tamen non plus fidei ejus testimonio tribuere possumus, quàm tribuunt ipsi Pontificii, aliàs in credendis talibus admodum faciles. Itaque nemo nobis, puto, vitio dabit, si eorum verbis usi cum Cardinal. Bonar. liturg. lib. I. cap. 25. p. 457. dicamus: *Honorio idasserenti sine legitimo teste non credimus.*

XV. Neque tamen prorsus negamus, ligneorum calicum usum in veteri fuisse Ecclesiâ. Id enim nobis persuadet cum *Concil. Triburiens.* can. 9. tum memorabile illud apophthegma Bonifacii Episcopi Moguntini, qui in Concilio isto interrogatus: *an in vasculis ligneis sacramentum conficere liceret?* respondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus,* ut est ap. *Walafrid. Strab. rer. Eccl. cap. 24. f. 101. & Centur. Magdeb. IX. cap. 9. f. 295. ex Tom. II. Concil. Sed & vitreis usi sunt,* teste *Hieron. epist. 4. ad Rusticum T. I. f. 48. Irenæo adv. Hæres. lib. I. cap. 9. f. 71. Cypriano in vitâ Cæsarii Arelatens. Nec metallicis caruere, cum vilioribus,* teste *Optat. l. c. tum pretiosioribus, aureis & argenteis, ut videre est ap. Augustin. lib. III. contr. Crescon. Gram. c. 29. T. VII. f. 260. & Enarr. in Ps. 113. conc. 2. T. VIII. f. 1307. Theodori. lib. III. c. 12. f. 316. Ambros. Offic. lib. II. cap. 28. Chrysost. homil. LI. in Matth. f. 455. Prudent. & 5. φ. hymn. II. Gemmati calicis, Ecclesiæ Edeffensæ donati, mentio fit in *Concil. Chalcedon. Act. X. Tom. IX. Concil. Paris. f. 56. Alius materiæ calices exhibet Bona l. c. pag. 458. 459.**

XVI. De formâ illorum parum habeo dicere, nisi quod *Tertullianus* imaginem pastoris, ovem perditam humeris suis portantis, iis fuisse insculptam indicat lib. de pudicit. cap. 7. perinde ut in oculis fieri solebat, teste *Aringio* in Româ subterraneâ.

XVII. Consecratos fuisse, *Augustinus* docet Enarr. in Psal. l. c. non quidem more Pontificiorum, sed primo eorum usu, perinde ut altaria. Sed ad rem propius veniamus.

## Sectio II. Logica s. Analytica,

XVIII. Propositum Apostolo esse, Corinthios deterrere ab usu idolothytorum seu epulis idolorum, cum res ipsa loquatur,

tur, neminem negaturum esse confido. Id enim egerat superioribus capitibus, idemque persequitur hoc ipso, cuius nunc explicamus comma 21. Argumenta, quibus id confirmat, tria sunt potissimum. Primum ductum à genere facti, idololatriâ nempe, quam debent fugere. At Participare idolothyta est idololatria. Ergo. Majorem ponit comm. 7. & 14. eandem probat comm. 5. additâ geminâ Prolepsî comm. 3. 4. 6. & amplificat dehortatione à flagitiis cum idololatriâ conjunctis comm. 8, 9, 10. & seqq. *Al-*  
*terum* à re signatâ & effectu idolothytorum. κοινωvιαv δαμονιο-  
 rum debetis fugere. Participare idolothyta est κοινωvια δαμο-  
 niorum. Ergo. Majorem ponit comm. 20. *Nolo vos κοινωvιεσθε*  
*δαμονiorum.* Assumptionem non ponit: affert autem tres ejus  
 probationes: (α) ab Exemplo Eucharistiæ s. benedicti calicis &  
 panis. Si enim calicem benedictum & panem qui participant,  
 res eorum signatas participant, nempe corpus & sanguinem  
 Christi, & in unum qs. corpus coalescunt, profitentes eandem  
 fidem & agnoscentes eundem Dominum, cujus sacris fruuntur;  
 sequetur etiam, quod idolothyta qui participant, participant si-  
 mul res eorum significatas, nempe δαμονια, quibus immolan-  
 tur, fiantque unum qs. inter se corpus, agnoscentes eundem do-  
 minum diabolum, cujus sacris utuntur. At verum prius ex comm.  
 16. & 17. Ergo & posterius. (β) ab exemplo sacrificiorum Levi-  
 ticorum; Quod si enim de sacris Levitarum cibis qui edunt, ipso-  
 rum simul sacrorum se participes reddunt, & profitentur socios  
 Ecclesiæ Judaicæ; sequetur profecto, quod qui vescuntur idolo-  
 thytis, ipso quoque sacrorum participes & idololatrarum so-  
 cios se faciant. At verum prius ex comm. 18. Ergo & posterius.  
 (γ) Per prolepsin à definitione idolothytorum, quæ dicuntur à  
 gentilibus immolata δαμονibus, non DEO. Unde hæc existit  
 probatio: Quicumq; edit ea, quæ δαμονibus immolata sunt, ille  
 fit particeps δαμονiorum. At qui participat idolothyta, edit ea,  
 quæ δαμονibus immolata sunt. Ergo. Minor habetur comm.  
 20. Atque hoc alterum argumentum erat. *Tertium* ductum ab  
 eo, quod non potest fieri. Græci ἀδυνατοv vocant. Quod cum  
 communionem mensæ Domini non potest rectè consistere, eo de-  
 betis abstinere, κοινωvια idolothytorum & δαμονiorum cum  
 B commu-

communione mensæ Domini non potest consistere. Ergo. Major ut per se manifesta omittitur. Minor ponitur comm. 21. Vid. Jacobi Brandmülleri Analys. I. ad Corinth. p. 48, 49.

XIX. Ex his igitur omnibus licet intelligi, Apostolum id agere, ut persuadeat Corinthiis, ab idolothytis esse, eumq; omnia ad participationem referre. Ex participatione enim Calicis & panis colligit κοινωνίαν τῆ ἀϊματος καὶ τῆ σώματος τῆ Χρῆστῆ comm. 16, 17. ex participatione victimarum, κοινωνίαν τῆ θυσιαστροφῆς comm. 18. ex participatione idolothytorum, κοινωνίαν δαιμονίων comm. 20. Quis igitur mensam h. l. five Domini five dæmoniorum idem non consideraret, ut utraque participatio est; illa quidem Domini, hæc dæmoniorum? Immo ita eum omnino considerare, ipsa verba testantur. Ait enim, non posse eos τραπέζης κυρίως μετέχειν καὶ τραπέζης δαιμονίων.

XX. Sed juvat considerare distinctim orationem Paulinam, quæ duas continet propositiones, quarum utraque Modalis est, eaq; *divisa*, ut loquuntur, de modo *Impossibilis*, per verbum ἰδύνασθε, non potestis, hîc expresso. Hoc enim idem hîc valet, quod ἀδύνατόν ἐστι, impossibile est.

XXI. *Dictum* continetur verbis sequentibus, quibus addendum Pronomen ὑμεῖς, vos, in verbo secundæ personæ plur. ἰδύνασθε, inclusum. Atque hoc ipso exprimitur *Subjectum* orationis Paulinæ. Quum enim ἰδύνασθε ait, ἀμέως, certè s. immediatè alloquitur Corinthios, homines voluptatibus admodum deditos, I. Cor. V, 1. VI, 11. II. Cor. XII, 21. (conf. Strabon. Geogr. lib. VIII. f. 433.) atque ex hac consuetudine, ut Chrysostomus præfat. in hanc epist. f. 331. interpretatur, in templis idolorum accumbentes & idolothyta edentes non sine magnâ infirmorum offensione, I. Cor. VIII, 10.

XXII. *Prædicatum* in priori propositione fiunt ista: *Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*. In posteriori hæc: *Mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*.

XXIII. Quumque hîc diversa copulentur, *Calix nempe Domini & dæmoniorum, Mensæ item Domini & dæmoniorum*, quorum non eadem est in participando ratio; idè *Prædicatum non simplex, sed compositum quiddam est, & constituit orationem de Extre-*

mo cor-

*mo conjuncto, ut Logici loquiamant. Bibendi vox non tantum ad Calicem Domini, sed etiam ad Calicem dæmoniorum refertur; quemadmodum etiam alterum illud μέλι ξεν non tantum ad mensam Domini, sed etiam ad mensam dæmoniorum pertinet. Ac proinde licet utraque vox semel tantum posita sit, repetenda tamen utraque & in explicatione adjungenda illi parti est, ad quam pertinet, ut aded distincte hæ Prædicati utriusque partes existant: Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum bibere: Item mensa Domini participes esse, & mensa dæmoniorum participes esse.*

XXIV. Integræ verò enunciationes ita habent: 1. *Vos non potestis* (sive, impossibile est, vos) *calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum bibere.* 2. *Vos non potestis* (s. Impossibile est, vos) *mensa Domini participes esse, & mensa dæmoniorum participes esse.* Quæ verba quid sibi velint, in sequentibus dicitur.

### Sectio III. Philologica s. Exegetica.

Ὁ ὑμῶν θε. NON POTESTIS.

XXV. Dicitio hæc non significat h. l. *difficultatem* tantum, quemadmodum in aliis scripturæ locis accipi solet, ut Marc. V, 3. VI. 19. Luc. VI, 39. Joh. VI, 60. VII, 7. Jacob. III, 8. Apoc. II, 2. VII, 9. Nam quæ difficultatem habent, fieri nihilominus possunt, licet difficiliter. At rectè & utiliter ut quis participet calicem & mensam Domini ac dæmoniorum, fieri non potest. Significat ergo potius *adynamiam* sive *impossibilitatem*; non tamen *simplicem & absolutam*, qualis intelligitur Jacob. III, 12. Apoc. IX, 20. Si enim absolute fieri non potuisset, ut qui participaret mensam Domini, particeps quoque fieret mensæ dæmoniorum, nec opus fuisset, tot rationibus deterrere Corinthios ab esu idolothytorum; nec permitti iis potuisset, omne in macello venditum & privatis in conviviiis ab infidelibus appositum, in quibus certè idolothyta etiam fuerunt, 1. Cor. X, 27, 28. certo modo manducare comm. 25, 27. nec denique Corinthii habentes scientiam accubuissent *ὁ ἐὶ δὲ ὡς ἐσθ*, quod fecisse, Paulus testatur 1. Cor. VIII, 10. Quare *adynamia* tantum ejusmodi hinc intelligenda venit, quæ ad *jus* restricta sit, ita ut *id non posse* hinc idem sit, quod *non licere, non debere, sive, quod eodem recidit, impossibilitas non physica, sed moralis* hic lo-

eum habet. Nec verò novà hæc interpretatio, aut aliunde in Scri-  
 pturam illata est; sed ex ipsâ Scripturâ deprompta, quæ sæpe vo-  
 cem *potestatis de debito, licito & jure usurpat*, ut Matth. VI, 24.  
 Luc. XVI. 2, 13. Act. IV. 16, 20. XXV, 11. 1. Cor. III, 1, 11. II. Cor. XIII,  
 8. II. Tim. II, 13. Vid. *Glass. Philol. S. lib. III. Tr. III. can. 12. p. 564.*  
 Atque ita etiam *Clemens Alexandr.* intelligit, quum lib. II. *Pæda-*  
*gog* f. 144. Paulinum ἢ δύνασθε interpretatur, ἐκ ἔυλογον, *rationi*  
*consentaneum non est.* Ἀλλ' ἐκ ἔυλογον, inquit, *τραπέζης δαιμονίων*  
*μεταλαμβάνειν τὰς θείας μετέχει καὶ πνευματικῆς καθήκοντες ἰσο-*  
*φῆς. Sed rationi non est consentaneum, ut sine mensa demoniorum*  
*participes, qui divino & spiritali nutrimento digni sunt habiti.*  
 Quod enim in genere morum rationi consentaneum non est, il-  
 lud illicitum quoq; est & non potest moraliter fieri. Similiter in-  
 terpretatur *Chrysostomus.* Is enim homil. XXIV, in h. l. f. 535. Apo-  
 stolum hinc *νενομοθετικῶν legem sanxisse*, ait. Lege autem non ab-  
 solutè impossibilia prohibentur, sed possibilia eaque illicita. Et  
 paulò antè idem Corinthios ab idolis liberatos *excurrisse* scripsit  
*ad mensas demoniorum, & postea excurrisse ad contraria.* Non er-  
 go de impossibilitate facti, sed juris illud ἢ δύνασθε intelligere po-  
 tuit: aliàs secum ipse & cum Apostolo pugnasset. Nec aliter *Gre-*  
*gor. Nazianz.* Orat. 36, quæ est IV. de Theol. τὸ μὴ δύνασθαι expli-  
 cat. Sic enim inter alia, quæ de hujus dictionis significatione tra-  
 dit, ait: τὸ δὲ (scil. μὴ δύνασθαι λέγεται) ὡς ἐκ ἔυλογον, ὡς τὸ, ἢ δύ-  
 νασθαι οἱ υἱοὶ τοῦ νομφῶνος νησεύειν, ἐφ' ὅσον ἔνδυμος ὁ νομφίος. εἴτε ὁ  
 σωματικῶς ὀρώμενος (ἢ γὰρ κακοπαθεῖας, ἀλλ' εὐπροσύνης καὶ γὰρ ὁ τῆς  
 ὀπθθμίας) εἴτε ὡς ὁ λόγος νοόμενος, τί γὰρ δεῖ νησεύειν σωματικῶς, τὰς  
 λόγῳ καὶ θαιρομένους; *Impossibile etiam dicitur, quod minimè aequum*  
*est rationi, consentaneum: cujus generis est illud: Non possunt filij*  
*sponsi jejunare, quamdiu presens est sponsus (Matth. 9.) sive eum in-*  
*telligas, qui corporeis oculis cernitur (neq; enim arumne atq; afflictio-*  
*nis tempus erat illud tempus, quo Christus nobiscum versabatur) sive*  
*eum ut verbum spectes. Quid enim eos corporeo modo jejunare ne-*  
*cesse est, qui sermone purgantur? Nec gentilibus hæc ignota expli-*  
*catio fuit. Cicero enim Platonis ἀδύνατον interpretatur Nefas.*  
*Quod enim Plato in Timæo dixit, τὸν μὲν ἐν ποιήσῃ καὶ πάρετα τῷ*  
*θεῷ ἢ παλὸς εὐρεῖν τι ἔργον, καὶ εὐρόνθαι εἰς πάντας ἀδύνατον λέγει,*  
*Cicero*

Cicero de Univerſo cap. II. f. 353. ita reddidit: *Nullum quidem q̄. p̄. ſententiam huius univerſitatis invenire, difficile, & cum jam inveneris, indicare in vulgus, NEFAS.*

Πόλιον CALICEM SIVE POCULUM.

XXVI. Πόλιον generatim quodvis vas ſignificat, quo homines uti poſſunt ad bibendum. Nam à πίω derivatur, quod bibo ſignificat. Ita etiam Varinus Phavorinus in voce πόλιον σημαίνει καὶ τὸ ἀγγεῖον, ἐν ᾧ πίνομεν. Significat etiam vas, in quo bibimus. Vetus interpres Latinus adpellavit *Calicem*: quæ vox etſi ſpeciatiim certum poculi genus ſignificat; generatim tamen interdum etiam de quovis poculo dicitur, ut ap. *Plaut.* in *Captiv.* A& IV. ſc. ult. *Aulas calicesq̄ omnes confregit;* & in illo trito: *Multi cadunt inter calicem, &c.* Unde & *Suida* & *Varino* κύλιξ ( quæ vox reſpondeet Latinorum *calici*, ſicut Germanorum *Kelch* ) appellatur πόλιον, quaſi eadem utriusque vocis vis & poteſtas ſit. Syrus vocat אבא quod eſt ex Hebræo אבא, quo generatim *vas* & *poculum quodvis* ſignificari ſolet. Ita R. Eleaſarem dixiſſe ajunt, hominem cognovi אבא בפי אבא בפי *in poculo ſuo, in loculo ſuo, & in ira ſua.* Vid. *Eruvin.* f. 65. 2. *Schab.* f. 105. 2. Conf. *Dilherr.* *Eccl.* S. di& IX. p. 321.

XXVII. In N. T. uſurpatur vel propriè de vaſis illo genere, ex quo bibitur, ut *Matth.* XXVI, 27. *Marc.* XIV, 23. &c. vel impropriè, idq; cum *metaphoricè* de irâ Dei & pœnis graviffimis *Apoc.* XIV, 10. XVI, 19. *Matt.* XX, 22, 23. XXVI, 39. 42. *Marc.* X, 38, 39. XIV, 36. *Luc.* XXII, 42. *Joh.* XVIII, 11. tum *Metonymicè*, per *Metonymiam* Subjecti de potu in poculo contento ut *Luc.* XXII, 17, 20. *1. Cor.* XI, 25, 26, 27. Atque ſic hoc loco quoque accipitur, pro contento nempe, tum quia poculum hoc Corinthii dicuntur bibere, tum quia illud comm. 15. dicitur πόλιον εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν. At neutrum horum de vaſe dici poteſt, ſed de potu in vaſe contento. Contentum autem in eo vinum eſt, ut ex *Matth.* XXVI, 29. *Marc.* XIV, 25. *Luc.* XXII, 18. colligi poteſt. Licet enim hic agi videatur de cœna communi & paſchali; tamen quâ conſequentiâ *Bellarmin.* lib. IV. de *Euchar.* cap. 7, 8, 9. efficit, Chriſtum in adminiſtratione S. cœnæ pane azymo uſum, quia tum in cœnâ communi tali pane uſus populus Judaicus. & cum eo Chriſtus eſt; eâdem etiam nos efficitur, Chriſtum genimine vitis uſum ad S. *Euchariftiam*, quia

cum in cœnâ comuni & paschali præsens erat γένημα τῆ ἀμπέλου.  
 Non ergo ad eò necessaria hîc *Traditio* est, quasi sine eâ constare  
 non possit, vinumne, an aquam, an utrumq; Christus in calice Eu-  
 charistico habuerit, ut quidem sibi persuadet *Bellarmin.* lib. IV. c.  
 X. §. Cæterum, cujus argumenta breviter, sed eruditè perstringit  
*Dorshens* noster Pentadec. Disp. VIII. §. II, 12. Quanquam verò  
 negari non possit, Ecclesiam veterem vinum aquâ mixtum hîc ad-  
 hibuisse, ut vel ex *Iustino* Apol. II. & *Cypriano* lib. II. epist. III. ad  
 Cæcilium constat; non est tamen æque certum, idem fecisse quo-  
 que Christum & Apostolos, multò minus necesse est, ut universa  
 Ecclesia vinum aquâ temperet ad unionem fidelium cum Christo  
 repræsentandam & efficiendam, ut volunt Pontificii, quos suis  
 ipsorum jugulat gladiis *Gerhardus* noster Confess. Cathol. lib. II.  
 Part. II. art. XIV. cap. V. p. 1033. seq. Cum vino conjunctus in po-  
 culo Eucharistico sanguis est, & quidem sanguis Christi comm.  
 16. sanguis distinctus à corpore & distincto ritu fruendus ibid. &  
 cap. XI, 25. sanguis non minus præsens in epulo Eucharistico, atq;  
 præsentis erant carnes *Θυσιαὶ ἐν Θυσιαστηρίῳ* 1. Cor. X, 18. sanguis,  
 in quo fundamentum habet *καὶνὸν διαθήκην* 1. Cor. XI, 25. sanguis,  
 cujus rei fiunt indignè bibentes comm. 27. Atque hic sanguis  
 cum vino hîc in voce poculi intelligitur, consentiente SS. Patrum  
 choro. *Theodoretus* enim comm. in h. l. f. 66. poculum Domini ap-  
 pellant pretiosum Domini corpus. *Hieronymus* in h. l. f. 315. vocat  
 ipsum Deum. *Chrysostomus* homil. in h. l. f. 534. præclare: τὸ τοῦ ἐν  
 ποτηρίῳ οὐν, ἐκεῖνο ἐστὶ τὸ διὰ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν, καὶ ἐκεῖνα μετέχομεν.  
*Id quod est in calice, est id quod fluxit è latere, & illius sumus parti-*  
*cipes.* Quod autem poculum mensæ hîc præposuerit Apostolus,  
 in eo non videtur rationem habuisse ordinis aut dignitatis, ut  
 nonnulli volunt: Ordine enim manducatio antecedit bibitio-  
 nem, ut è verbis institutionis constat; dignitate autem corpus par  
 sanguini est, ut deinceps ostendetur. Itaque totum hoc tribuen-  
 dum potius ejus arbitrio est: vel etiam potuit respexisse morem  
 gentiliū, cum quibus Corinthiî erant, qui convivia sua à poculis  
 libatis sive à potione, quæ ποτόπομα dicebatur, illo tempore auspi-  
 cari solebant, ut videre est ex *Plin.* lib. XIV. cap. 22. *Plutarch.* sym-  
 pos. lib. VIII. c. 9. *Athen.* deipnos. lib. III. & IV. conf. *Casaub.* Anir-  
 advers. in Athen. lib. II. c. 17. f. 73.

Kogte

## Κυρίε DOMINE

XXVIII. Vox *κυρίε* etsi *δευτέρως* in significato *minors* principali aliis præter DEUM tribuitur, siquidem sunt Domini multi 1. Cor. VIII, 5. tamen ut *ἁπλῶς* & singulari quadam ratione significat dominium summum & universale, ita etiam *ἁπλῶς* in significato principali & eminenti κατ' ἐξοχὴν Domino summo & universali tribuitur. Unde unus tantum Dominus esse dicitur Marc. XII, 29. 1. Cor. VIII, 6. XII, 9. Eph. IV, 5. Atque in hac eminentiori significatione hic quoque accipitur de Jesu Christo, qui est unus ille Dominus, per quem omnia & nos per ipsum 1. Cor. VIII, 6. Quod vix ipsi Sociniani negare poterunt, nisi illud Socini prius negaverint, quod habet in refut. Bellarm. & Wickei cap. 6. d. 4. arg. 2. p. 395. *Nomen κυρίε nempe sine articulo verum & æternum Deum significare.* Liceat verò id ipsum hic quoque valeat (caret enim articulo vox *κυρίε*,) tantum tamen abest, ut hæc nos ratio movere possit ad interpretandam de summo DEO *κυρίε* vocem, ut potius istam Socini assertionem oppidò falsam pronunciemus: cum vox *κύριε*, etiam cum articulo, verum & summum Deum significet, ut videre est ex Matth. II, 15. V, 33. Marc. V, 19. A& II, 25. Rom. XV, 11. Eph. V, 10, 17. Cæterum firmiora adsunt argumenta, quæ efficiunt, summum DEUM hic intelligendum esse. Primum quidem, quia hic vox *κυρίε* adhibetur propriè in singulari sine conditionibus restringentibus, quomodo semper in N. T. Dominium eminentissimum & absolutissimum, soli DEO conveniens, significare solere, observavit Dn. *Calovius* Tom. II, Syst. Loc. Theol. c. II. sect. I. p. 128. Deinde, quia in hoc ipso capite (ut de aliis nunc nihil dicam) id Domino huic tribuitur, quod non nisi de summo DEO intelligi potest. Quippe is esse dicitur, quem Israëlites tentarunt in deserto comm. 9. ipse nempe *יהוה* Exod. XVII, 2. & Psal. LXXVIII, 18. CVI, 14. *יהוה* Psal. LXXVIII, 56. Vid. *Hoornbeck*. Socin. Confut. Tom. II, cap. I. p. 105.

XXIX. Competit autem hoc Christo nomen, essentialiter quidem, secundum divinam; personaliter verò, secundum humanam naturam, cum qua communicata verè & realiter divina atq; infinita majestas & gloria est, & per hanc quoque *πάντα ἐξουσία* *omnis potestas* sive jus summum, summa auctoritas & potestas in

res universas, eum quæ in cælo, tum quæ in terra sunt, Matth. XXVIII, 18. ita ut omnia sint subiecta pedibus ejus I. Cor. XV, 27. Eph. I 22. ipseque constitutus caput *ἡμῶν πάντων* super omnia ipsi Ecclesiæ Eph. I, 22. longè super omne imperium ac potestatem & potentiam & dominiũ & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, ibid. comm. 21. Et propter hanc potestatem, quam habet in Sacramentis instituendis ordinandisque suo populo mediis salutis ac destinando servis alimento, ejusque præcipiendo usu legitimo, Paulo quoque hic placuit uti voce *Κύβητος Domini*, de Servatore nostro Jesu Christo.

πίνευ BIBERE

XXX. *Improprie & Metaphoricè* in N. T. significat acceptiõnem vel humorum, quo sensu de terrâ imbrem imbibente usurpatur Hebr. VI, 7. vel doctrinæ, ut idem sit quod *discere* Apoc. XVIII, 3. vel dolorum, calamitatum & pœnarum, quomodo idem valet quod *pati* Matth. XX, 22. Apoc. XIV, 10, XVI, 6. vel beneficiorum spiritualium Joh. IV, 14. VI, 53, 54, 56. vel cœlestis gloriæ Luc. XXI, 30. *Proprie* autem significat assumptionem rei potabilis per os in corpus, eamque vel naturalem, de quâ adhibetur Matth. XI, 18, 19. XXIV, 38, 49. Marc. II, 16. X, 38, 39. Luc. V, 30, 33. VII, 33. X, 7. XII, 45. XVII, 27. vel Sacramentalem, ut Matth. XXVI, 27. Marc. XIV, 23. I Cor. XI, 25, 26, 27, 28, 29. Hoc loco geminam habet significationem. Nam quum ad poculum Domini refertur, sacramentalem; quum ad poculum dæmoniorum, naturalem bibitionem significat. Hoc quidem propterea, quia è poculis dæmoniorum merum bibebatur vinum nullaque præterea alia substantia, super naturaliter cum vino conjuncta. Illud verò eam ob causam, quod poculum Domini non solum suppeditat vinum, sed cum vino & in vino ipsam etiam substantiam sanguinis Domini, ut è verbis Institutionis patet.

XXXI. Nequetamen, quum geminam hinc significationem defendimus, unum unius vocis in oratione Scripturæ simplici sensum literalem esse negamus. Nam hæc oratio non omni ex parte simplex, sed de extremo conjuncto est. Nec τὸ πίνευ (similiter & τὸ μέλιξεν) absolutè vox una est, sed actuantium ac materialiter una est, formaliter autem & virtute gemina, duarum  
gerens

perens vicem, ut sect. II. dictum. Posse autem vocem, quæ actû  
& materialiter tantum una est, geminam interdum sustinere si-  
gnificationem, ex Joel. II. 13. ostendit *Glassius* Phil. S. lib. II. Part. I:  
Tr. II. sect. I. art. 3. can. 2. pag. 265. idem videre est ex II. Cor. III. 3.  
Cæterum de Controversiâ illâ: Unusne an plures unius scriptu-  
ræ loci sensus sint? Consule *Gerhard.* Confess. Cath. Part. I. lib.  
II. art. I. cap. III. § 3. p. 232. seq. *Meisner.* Phil. Sobr. Part. II. sect.  
II. cap. II. quæst. IV. p. 589. *Calov.* Syst. Tom. I. cap. IV. sect. II.  
quæst. 18. p. 662.

## κα) ET

XXXII. Sine dubio hic copulandi vim habet. Alias hujus  
particulæ in aliis Scripturæ locis significationes, collegit Dn.  
*Scherzerus* Exerc. super illud Matth. XI. 21. Væ tibi Chorazin.

## Πόλιον CALICEM.

XXVIII. Iterum de potu intelligitur per *Metonymiam*, per-  
inde ut Poculum apud Latinos, *Virgil.* Georg. II. v. 128. III. 529.  
*Cicer.* VII. Verr. *Horat.* IV. Carm. od. 12. Significatio ergo hîc ea-  
dem, quæ ante fuit, res tamen diversa. Alius enim potus poculi  
Domini, alius poculi dæmoniorum est. Ille cum vino sanguis  
Christi est, hic merum vinum; ille sacramentaliter, hic naturali-  
ter bibitur: ille ad reficiendas vires spirituales, hic ad naturales  
sumitur: ille in commemorationem mortis Domini usurpatur,  
hic in honorem dæmoniorum libatur. Unde & *Stuckius* Antiq.  
Conviv. lib. I. cap. 33. f. 119. *Libationes* voce πόλιος propriè intelli-  
gitur. In eo tamen conveniunt, quod uterque potus est, & hæc-  
tenus significatio quoque vocis πόλιος utrobique eadem.

## Δαιμονίων DÆMONIORUM.

XXXIV. Voce δαιμονίος gentiles olim Deos suos appellabant,  
ut ex Act. XVII. 18. (Neque enim attinet, profanos in re minimè  
dubiâ citare auctores) constat, sive boni isti haberentur, sive mali  
*Augustin.* de Civ. Dei lib. IX. c. II. f. 499. At Scripturæ solenne esse,  
malis tantum Angelis id nomen tribuere, observavit *Augustin.*  
I. c. cap. 19 f. 526. Nos, inquit, sicut Scriptura loquitur, secundum  
quam Christiani sumus, angelos quidem partim bonos partim malos,  
nunquam verò bonos demones legimus. Sed ubicunq; illarum litera-  
rum hoc nomen positum reperitur, sive demones, sive demonia discan-

itur non nisi maligni significantur Spiritus. Similiter Psellus citatis  
 Stencho de perenn. Philos. lib. VIII. cap. 20. Καὶ ὁ μὲν χάλδαϊός  
 ἴνας μὲν τῶν δαιμονίων ἀγαθούς, τινὰς δὲ κακούς τίθει, ὁ δὲ ἡμέ-  
 τερος εὐσεβὲς λόγος, πάντας κακούς ὀρίζει ἐν ποροιστικῶν ἀποπλω-  
 μάτων, τὴν κακίαν ἀνταλλαζαμένους τῆς ἀγαθότητος. Chaldaus  
 quidem alios bonos, alios malos daemones agnoscit: sacra vero pia  
 verāq; Theologia nostra omnes definit malos, quoniam voluntarie  
 peccaverunt, bonitate in scelus commutatā. Nec diversum lo-  
 quuntur omnia Scripturæ N. T. testimonia, in quibus δαιμονίε  
 vel δαίμονος mentio fit. Quin ipsi etiam gentiles sparsā per or-  
 bem doctrinā Evangelii, tandem dæmonii nomen abhorrere  
 ceperunt. Sic enim Augustin. l. c. Et hanc loquendi consuetudi-  
 nem in tantum populi usq; quaq; secuti sunt, ut eorum etiam, qui pa-  
 gani appellantur, & Deos multos ac daemones colendos esse contendunt,  
 nullus ferè sit tam literatus & doctus, qui audeat in laude vel ser-  
 suo dicere, demonem habes: Sed quilibet hoc dicere voluerit, non se  
 aliter accipi, quàm maledicere voluisse, dubitare non possit. Et li-  
 cet veteres gentiles Deos illos, quibus pocula libabant mero, bo-  
 nos potius existimarent, quàm malos, quod vel poculum ἀγαθῆ  
 δαίμονος docet, de quo multa ap. Struckium l. c. lib. III. c. 23. f. 386.  
 seq. reverā tamen isti fuerunt mali, docente hīc Apostolo &  
 comm. præcedente.

XXXV. Cæterim (ut hoc ἄς ἐν παρῶδω addam) de dæmoniis  
 multa olim tradidere Platonici, collecta Stencho l. c. lib. VIII. cap.  
 XXI. seq. in quibus refutandis occupatus Augustinus est de C. D.  
 lib. VIII, IX, & X. De cultu dæmonum vid. Voss. de orig. & Progr.  
 Idol. lib. I. cap. 8. p. 57. seq. Oracula dæmonum, ex ultimā anti-  
 quitate eruta, Antiquitates nostræ Græcæ lib. I. cap. II. exhibent.  
 Plura, quæ Theologiæ cultorem de dæmoniis scire convenit,  
 Theologi suppeditant. Conf. Voërium disp. select. Part. I. de Nat.  
 & oper. dæm. p. 906, seqq.

Οὐ δύνασθε NON POTESTIS.

XXXVI. Vim hujus dictionis jam supra exposuimus. Repe-  
 dita autem hic ea per Anaphoram non ornatus tantum gratiā, sed  
 ut magis inculcetur sententia Apostoli adeoque magis commo-  
 veantur Corinthiorum animi. Vid. Flacii Clav. Script. part. II. Tr.  
 IV. f. 452, 458.

Τραπῖ-

τραπέζης MENSÆ.

XXXVII. Syrus habet: בפתוריא & ex eo Tremellius: *Mensâ Domini*. Sed non idem dicit Apostolus. Aliud enim: esse participem in mensâ Domini; Aliud, esse participem mensæ Domini.

XXXVIII. Significat autem vox *τραπέζης* in N. T. propriè genus illud suppellectilis, quod vulgo mensam appellant, adhibeturque partim de iis mensis, quibus cibus imponitur, cum sacris Hebr. IX, 2. tum profanis Matth XV, 27. Marc. VII, 28. Luc. XVI, 21. partim de iis, quibus argentarii utuntur Matth. XXI, 12. Marc. XI, 15. Joh. II, 15. *Impropriè* verò vel per *Metonymiam* ea, quæ in mensâ proponuntur, vel per *Metaphoram* bona spiritualia & cœlestia significat. Prior significatio obtinet Act. XVI, 34 posterior Luc. XXII, 30 utraq; Rom. XI, 9. observante *Bald. comm. super h. l. & Glassio Rhet. S. Tr. l. cap XII. p 1338.* Hic *impropriè* & quidem *Metonymicè* usurpatur de cibo, qui in mensa Domini apponitur: ad hunc enim pertinet illa *μεῖζον* s. participatio, non item ad tabulam quandam ligneam lapideamve. Hic etiam, non verò tabula, ille *ἄρτος* panis est, de quo paulo ante dixerat comm. 16. quo quidem egregiè nostrum hoc, quod modò tractamus, illustratur. Nam quod hic dixit, *ποτήριον κρημίνων*, id istic appellat *ποτήριον*, quod est *κοινωνία τῆς αἱματός τῆς χρείς*. Similiter quod hic est *τραπέζης κρημίνων μετέχων*, id comm. 17. est *μετέχων ἐκ τῆς ἐνός ἄρτος, ὅς κοινωνία τῆς σώματος τῆς χρείς ἐστίν* comm. 16. *Τράπεζα* ergo s. mensa hic idem erit quod *ἄρτος* panis, isque propriè ita dictus. Hunc enim Christus accepit & fregit discipulis, ut verba Institutionis habent. Hunc etiam Apostoli fregerunt com. 16. & Corinthii comederunt comm. 17. & cap. XI. com. 26.

XXXIX. Et licet *τράπεζα* hic appelletur in Numero Singulari, & supra comm. 17. *ἓς ἄρτος* unus panis; non tamen inde efficitur, unum numero panem adhibendum in celebratione S. Eucharistiæ esse. Unus dicitur quoad officii sacramentalis identitatem specificam, quod unum & idem corpus Christi exhibet omnibus convivis, atque ex iis unum efficit corpus mysticum, Ecclesiam. Quod ipse etiam l. c. Apostolus docet; quum ait, non tan-

tum Corinthios, sed etiam se ( id enim vult prima Persona Numeri multitudinis ἐσμεν *sumus* & μετέχομεν *participamus* ) immo omnes de uno pane participare, atque ita fieri unum corpus. At licet Corinthii fortè unum numero panem habuisse possint; nec Apostolus tamen, qui tum longè Corinthis aberat ( quippe Ephesi in Asia hanc ad Corinthios scripsisse epistolam, non uno argumento ostendit *Gerhard. Exeget. L. de Script. S. §. 258. pag. 271.* ) nec omnes alii Christiani, qui constituunt unum corpus mysticum, unum numero panem cum Corinthiis participasse potuerunt. Idem docet *Chrysostom. homil. XVII. in Hebr. f. 1872.*

XL. Azymus autem ille, an fermentatus fuerit, Apostolus non explicat, non obscurè isto silentio significans, neutram panis speciem per se esse ad S. Eucharistiam necessariam, & tam azymum, quàm fermentatum adhiberi posse pro libertate Ecclesiæ, ut ad eò Græci supersedere potuerint istâ controversiâ, quam hâc de re movere Latinis circa medium seculi XI. cum fermentatum tantum adhibendum esse contenderent, non azymum, quo Latini utebantur. Quam sententiam adhuc tenent Græci, ut vel è *Jeremia Patriarchæ Constantinop. censura A. C. cap. X. Resp. I. f. 86. & Resp. II. f. 241. videre est.* Rationes utriusque partis recenset *Hospinian. Hist. Sacr. Part. I. lib. IV. cap. I. f. 288. & Stanislaus Solocovius Not. ad Censur. Eccl. Oriental. p. 137.* Alia ad hanc rem pertinentia expedit noster *Dorscheus Exerc. ad Concil. Nicæn. §. 34. seqq. & Pentadec. Disput. VIII. §. 28. pag. 291.*

XLI. Et quæ ratio fermenti, eadem & hîc figuræ & quantitatis est. Neque enim vel hîc vel alibi expressum, aut subobscurè saltem significatum, quæ figura, quæve quantitas panis Eucharistici esse debeat. Ac proinde totum hoc etiam relictum Christianæ libertati est. Nec ferendi *Calviniani*, qui placentulas nostras orbicas tantopere nauseant, ut eas omninò è S. Eucharistiâ sublatas esse velint. Quibus jam responsum à *B. Meisnero Phil. Sobr. Part. I. sect. III. Cap. VI. p. 619. Hôpfnero Isagog. de S. cœna. Tr. I. sect. I. art. 1. cap. II. p. 5. 6. 7. & aliis est.*

XLII. Cæterum ut cum vino sanguis, ita cum hoc pane corpus

corpus Domini, sacramentaliter conjunctum est. Dicitur enim non tantum *τράπεζα mensa*, sed etiam *τράπεζα κυβη mensa Domini*, idque propterea, quia *κοινωνία τῷ σώματι τῆ χειρὸς ἐστὶ communicatio corporis Christi est* comm. 16. Non potest autem esse communicatio corporis Christi, nisi conjunctum habeat suo modo corpus Christi. *τράπεζα* igitur hic est *Panis Eucharisticus cum corpore Domini conjunctus*. Atque ita etiam SS. Patres interpretantur. *Tertullianus* lib. de spectac. f. 696. vocat *cœnam Domini*. *Clemens Alexandr.* Pædag lib. II. f. 144. *θεῖαν καὶ πνευματικὴν τροφὴν* *divinum & spirituale nutrimentum*. *Chryso- stomo* homil. XXIV. in h. l. f. 538. *αὐτὴ ἡ τράπεζα τῆς ψυχῆς ἡμῶν τὰ νεύρα, τῆς διανοίας ὁ σύνδεσμος, τῆς παρρησίας ἡ ὑπόθεσις, ἡ ἐλπίς, ἡ σωτηρία, τὸ φῶς, ἡ ζωὴ*. *Hæc mensa nervi nostræ salutis, mentis vinculum, fiducia fundamentum, spes, salus, lux, vita est*. *Hieronymus* in h. l. f. 315. ipsum appellat *Deum*. *Theodorus*. in h. l. f. 66. *pretiosum Domini corpus*. Nec aliter cæteri ferè omnes, quippe solenne iis, corpus & sanguinem Domini, appellare mensam Domini. Vid. *Optat. Milev.* lib. V. *Augustin.* de pecc. mer. contr. Pelag. lib. I. cap. 24. *Leo I.* de jejunio &c. Hinc epitheta illa illustria, mensæ illi, ut corpus Christi significat & exhibet, tributa, quæ collegit *Casaub.* Exerc. XVI. ad ann. Baron. n. 36. p. 377. & *Dorsch.* Myl. Miss. cap. VIII. p. 277. & Exerc. ad Diatyp. Conc. Nic. sect. II. §. 3. p. 98.

### Kyβη DOMINI.

XLIII. Iterum personaliter intelligitur de JESU CHRISTO Domino nostro. Hic enim ut *αὐτοπροσώπως* Sacramentum Eucharistiæ instituit, non excluso tamen profus Patre & Spiritu S. *Matth.* XXVI, 26. *Marc.* XIV, 22. ita in eo suum quoque poculum, id est, suum ipsius sanguinem in vino nobis dat bibendum, & corpus in pane manducandum. Atque ut in dæmoniorum honorem Ethnici pocula libabant & idolothya edebant: ita nos in Domini nostri Jesu Christi honorem & commemorationem mortis ejus edimus & bibimus, quotiescunque hoc facimus, secundum ejus mandatum *I. Cor.* XI, 25. 26.

## Μετέχων PARTICIPES ESSE.

**XLIV.** μετέχω *Hesychio & Varino Phavorino idem est quod καινωνᾶ, μεταλαμβάνω particeps sum.* Nec aliam in S.L. habet significationem. Significat autem veram & realem ubique participationem ejus rei, quæ adjungitur. Hic ad duo refertur objecta, mensam nempe Domini, & dæmoniorum, ut ex copula καὶ intelligi licet. Atque ut participatio mensæ dæmoniorum vera & realis fuit: ita & participatio mensæ Domini. Hactenus ergo convenit significatio utrique Objecto. Sed si rationem propriam utriusque spectamus, differt μετέχω mensæ Domini ab illa, quæ est mensæ dæmoniorum. Illa enim sacramentalis, hæc naturalis tantum est, perinde ut bibitio, de quâ supra. Nec verò nova hæc interpretatio aut commentitia. Ipsa Scriptura & de Sacramentali participatione vocem istam usurpat, & de naturali, de illâ I. Cor. X, 17. de hac Hebr. V, 13.

## καὶ τραπέζης δαιμονίων ET MENSÆ DÆMONIORUM.

**XLV.** τραπέζα δαιμονίων sunt ipsæ epula seu cibi, in mensâ appositis. Ita enim veteres loqui amabant. *Pollux lib. VI. cap. 12. p. 326.* τραπέζας δὲ ἐπέκεινεν καὶ τὰ σίτια, τὰ ἐπ' αὐτῶν τιθέμενα. *Mensas vero vocabant cibos iis impositos. Eustathius ἐπιτιθέμενα τραπέζαις βρώμασι.* *Athenæus Deipnos. lib. II. πάντων τραπέζας καλέωντας τὰς παραθέσεις ταύτας, cum omnes mensas vocarent ista fercula s. cibaria, quæ apponebantur.* Hinc τραπέζαι πρώτη, δευτέρα, τρίται, h. e. mensa prima, secunda, tertia, auctore *Polluce l. c. pro ferculis.* δαιμονίων autem ista vocatur τραπέζα, quia ex idolothytis parata erat, ut patet ex cap. VIII. 4. ubi dicitur βρώσις τῶν εἰδωλοθύτων *manducatio idolothytorum, h. e. eorum, quæ idolis immolata erant.* At quæ idolis immolarunt gentes; dæmoniis immolarunt, ipso asserente hic Apostolo comm. 20.

## Sectio IV. Elenctica s. Polemica.

**XLVI.** Vero & germano vocum sensu tradito, hoc jam restat

restat agendum, ut ab aliorum calumniis eum vindicemus. Vindicabimus etiam, quantum ex divinâ gratiâ poterimus, Apostolicum verborum ordinem iterum secuturi.

Οὐ δύνασθε NON POTESTIS,

**XLVII.** Ait Apostolus. Quâ significatione, ostensum & firmatum supra. At non placet *Conrado Vorstio* & aliis. Is enim *Comment. in h. l. p. 153.* non tantum de *jure*, verum etiam *defa-cto* illud vult intelligi, nimirum ut obtineat cum Calvinianis, substantiam corporis Christi verè non accipi ab indignis i. e. non credentibus. *Conf. eundem pag. 155.* Hoc ipsum etiam volebant & urgebant *Quantius & Meppelensis* Ministri Calviniani in *Disputatione II. Iheveræ Frisiorum A. 1576. d. 4. April. habitâ,* & *Selneckeri* Thematis de hypostaticâ Unione annexa. Sed salva res est. Reclamat ipse Apostolus, quippe nonnullos Corinthiorum idolothyta manducasse apertè docet *1. Cor. VIII. 7. & comm. 10.* quosdam habentes scientiam ἐν ἐιδωλείῳ accubuisse scribit. Ubi quum ait, γινώσκων scientiam habuisse, hoc ipso instructos eos fuisse cognitione religionis Christianæ adeoque & sacra participasse, non obscurè significat; quum verò ἐν ἐιδωλείῳ accubuisse scribit, quid aliud dicit, nisi mensæ dæmoniorum eos participes factos, si non formaliter, saltem materialiter? Idem ex Apostolo non ineptè colligit *Chrysof. homil. XX. in 1. Cor. VIII. f. 490.* Deinde cum argumentis pugnet, & ostendat, poculum Domini bibentes non debere bibere poculum dæmoniorum *1. Cor. X. 16, 20, 21.* nonne hoc ipso nonnullos bibisse jam utrumque vel saltem bibere voluisse aut bibendum duxisse significat? Quid enim aliàs attinisset, prohibere, quod physicè non potuisset fieri? Habemus hic consentientes SS. Patres supra citatos. Habemus etiam quosdam à Calvino, non infirmi subsellii, ut *Bened. Aretium* comm. in h. l. f. 147. *Ravanell. Biblioth. voc. impossibile n. VI. f. 774. Hoornbeckium* Socinianism. *Confut. Tom. II. lib. I. c. I. sect. III. pag. 218.* quibus & *Gerard. Joan. Vossius* addi debere videtur, qui NEFAS appellat, quod Apostolus hic fieri non posse dicit, de *Idol. lib. I. c. IV. p. 27.*

Ποτάμιον

24

Ποτήριον νεκίου **POCULUM DOMINI.**

**XLVIII.** Hoc quia ante mensam nominatur, ideo putat Salmasius, merito & dignatione præstantius esse, potio-remque ac nobiliorem S. Eucharistiæ partem constituere. Sic enim ait in epistola ad Justum Pacium, cujus auctorem fecit Simplicium Verinum, pag. 211. *Qui priorem locum dederunt calici sive sanguini, ut Paulus semel, ut Lucas, ut uterque Clemens, non respexere forsitan ordinem, quo hæc Sacramenta instituta & tradita à CHRISTO fuere, sed quod potior esset ac nobilior pars eorum.* Et infra pag. 229. *Qui præposuerunt itaque calicem pani in tradendâ institutione Eucharistiæ, non tanquam prius ordine poculum spectarunt, sed tanquam merito & dignatione præstantius.* Et iterum pag. 235. *Meritum sanæ mortis Christi abrogat, qui præcipuam ejus causam tollit, nempe sanguinem pro nobis effusum.* Negat hoc Salmasio Dorscheus noster Exerc. ad Conc. Nicæn. sect. III pag. 193. & rectè negat. Nec, puto, aliter sentient omnes orthodoxi. Itaque nos etiam quæstionem illam: *An poculum Domini merito & dignatione præstantius sit pane, & potio-rem ac nobiliorem Sacramenti Eucharistiæ partem constituat?* non possumus non negare.

**XLIX.** Monemus autem (1) non quæri hîc de præstantiâ sanguinis CHRISTI in se & absolutè; sed comparatè, respectu corporis. Nam extra comparisonem nec nos negamus præstantiam sanguinis, nec Salmasius, credo, unquam negaverit præstantiam corporis. Utrumque enim Domini JESU CHRISTI Filii DEI esse, sacræ literæ identidem docent. (2) Non disputari hîc de præstantiâ sanguinis Physicâ seu naturali, sed de Sacramentali. Nam quod ad illam attinet, etsi Platonicî Cerebrum principem corporis animalis partem esse contendunt, & Peripatetici contra pro corde pugnarunt, de quibus vid. Sennert. Epit. Nat. scient. lib. VI. cap. I. pag. 472. seq. non impro-abilis tamen, quin dicam, probabilior eorum videtur opinio, qui cum recentioribus medicis Harvæo Exerc. de gener. animal. Backio diff. de Corde, & Schneidero lib. III. de Catarrh. &c. principatum sanguini deferunt, quâ de re plura in utramque partem disputavi in Hæmatologiâ meâ curiosâ, nondum editâ.

Verùm

Verùm hæc præstantia, quanta quanta, non pertinet ad Sacramentum Eucharistiæ. In hoc enim instituendo Christus non spectavit naturales sanguinis sui proprietates & dotes, sed potius, quid per unionem personalem ei accesserit. Et licet sanguinem suum naturalem discipulis suis bibendum dederit, non tamen dedit bibendum, quatenus naturalis; sed quatenus spectatur in unione personali tanquam sanguis Filii Dei, qui emundat homines ab omni peccato, 1. Joh. I, 7. & effundendus erat in remissionem peccatorum. Misa igitur præstantiâ naturali, quæ competere sanguini potest, quatenus pars integralis corporis est, de Sacramentali tantùm agemus, quam *Salmasius* sanguini tribuit, quatenus *pars Sacramenti* est, & quidem *potior ac nobilior* ratione *meriti*, ita ut sanguinem pro nobis effusum *præcipuam* faciat *causam meriti Christi*, atque in hoc ipso eum corpori præferat.

L. Hanc præstantiam sanguinis præ corpore in Sacramento Eucharistiæ nos negamus his motivationibus: (1) primò quidem, quia est ἀρχαφθ: neque enim ullum ejus vestigium in sacra Scripturâ reperire licet, sive τὸ ἐπὶ τὸν quæras, sive δὲ νοίαν. (2) quia est ἀτὴραφθ: Scriptura enim corpus & sanguinem, panem & vinum, pariter facit dignitatis & virtutis in Sacramento Eucharistiæ; etiam extra illud. Nam Christus tam panem accepit, quàm calicem: tam super illo gratias egit Luc. XXII, 19. I. Cor. XI, 24. quàm super hoc Matth. XXVI, 27. tam illi benedixit, comm. 26. quàm huic, qui propterea etiam vocatur πτήρον τῆς εὐλογίας, *calix benedictionis*, 1. Cor. X, 16. tam illum, quàm hunc dedit discipulis: tam illum verè edi, quàm hunc verè bibi jussit: tam illum esse dixit corpus suum, quàm hunc sanguinem suum: tam illud pro nobis frangi 1. Cor. XI, 24. & dari pro mundi vitâ Joh. VI, 51. quàm hunc pro nobis effundi in remissionem peccatorum, Matth. XXVI, 28. Apostolus quoque 1. Corinth. XI, 24. tam in manducatione panis Eucharistici, quàm bibitione vini, mortem Domini vult annunciari: nec minus eos, qui indignè edunt panem, quàm qui indignè bibunt calicem Domini, reos pronunciat tam corporis, quàm sanguinis Domini, comm. 27. &c. Atque ut sanguis dicitur αἷμα

D

Iησῦ

Ἰησοῦ Χριστοῦ, 1. Joh. I, 7. ita & corpus vocatur σῶμα Ἰησοῦ Χριστοῦ, Hebr. X, 10. Sanguini tribuitur ἀπολύτρωσις καὶ ἀφεσις, redemptio & remissio, Eph. I, 7. Col. I, 14. δικαίωσις, justificatio, Rom. V. 9. καθάρσιμος ἀπὸ πάσης ἀμαρτίας, purgatio ab omni peccato, 1. Joh. I, 7. ad eundem modum corpori adscribitur ζωοποίησις, vivificatio, Joh. VI, 51, 54. & in eo ipse dicitur εἰς θανάτου ἡμῶν ὄντας ποτὲ ἀπηλλοτριωμένους ἀποκαταλλάξαι, nos, cum aliquando essemus alienati, per mortem reconciliasse, Coloss. I, 22. καὶ τὰς ἀμαρτίας ἡμῶν αἰενέγκασθαι ἐπὶ τὸ ξύλον, peccata nostra pertulisse super lignum, 1 Petr. II, 24. Sanguine dicimur sanctificari, Hebr. X, 29. etiam corpore, ibid. 10. In sanguine dicimur habere παρρησίαν εἰς τὴν ἔσθον τῶν ἀγίων, libertatem ingrediendi sancta, ibid. 20. per carnem similiter Christus dicitur illam εἰσοδὸν nobis dedicasse ὁδὸν πρόσφατον καὶ ζῶσαν, viam recentem & vivam, ibid. 21. Ex his igitur omnibus ita concludo: Quæcunque Scriptura facit paria dignitate, merito & virtute, illorum unum non est præstantius altero. Atqui corpus & sanguinem Christi, eorumque Symbola panem & vinum Scriptura facit paria dignitate, merito & virtute. Ergo. Major suâ luce lucet. Minor hæctenus probata.

LI. Nunc videamus argumenta, quæ in contrarium affert Cl. *Salmasius*. Affert autem primò loca quædam Scripturæ, in quibus calix nominatur ante panem, ut 1. Cor. X, 16, 21. Luc. XXII, 17. quibus adjungit duo ex antiquitate Ecclesiasticâ: alterum quidem ex lib. VII. *Constit. Apost.* cap. XXVI. alterum verò ex *Clementis* epist. ad Corinth. ubi similiter prior locus sanguini datur. Sed nihil agit. Nam (1) nulla Consequentia: calix nominatur ante panem; Ergo præstantior est pane. Non omne quod nominatur ante alterum, dignius aut præstantius est altero. 2. Cor. XIII, 13. Christus nominatur ante Patrem, Pater ante Spir. S. nec tamen vel Christus major DEO Patre, vel Spiritus S. minor utroque est. Joh. III, 5. aqua prius nominatur, quàm Spiritus. Matth. VI, 11, 12. panis quotidianus præponitur remissioni peccatorum. Act. VI, 11. Moysi facta prius mentio, & Matth. XXII, 21. Cæsaris prius, quàm DEI. Quis autem vel aquam Spiritui, vel panem remissioni peccatorum, vel Moysen Cæsaremve DEO præstare dicet? Deinde (2)

quod nominatim ad Pauli ex 1. ad Corinth. citata loca attinet, ratio jam supra exposita, cur eo ibi verborum ordine Apostolus uti fortè potuerit. Quod si verò ista evincunt, poculum dignatione præstantius panem, sanguinem corpore esse; evincant certè etiam hæc necesse est, 1. Cor. XI, 23, 24, 25, 26, 27, 28. corpus nobilius esse sanguine, quia illud hîc præponitur. Evincat etiam ille 1. Cor. XV, 44. corpus animale antecellere πνευμαλικόν: & ille 1. Cor. VII, 34. sanctitatem corporis præstantiorem esse sanctitate spiritus. Illis enim prior datur locus. (3) De Lucâ, bis poculi faciente mentionem, ipse ostendit Salmasius p. 226. seq. non primum, sed ultimum fuisse Eucharisticum. de ultimo ait p. 229. Christum in solo ultimo sacramentum sanguinis sui constituisse. de primo verò p. 226. docet, Christum in hoc primo & initiatorio poculo non dedicasse Sacramentum sui sanguinis. Remoto igitur primo poculo ab institutione Sacramenti, patet, panem & corpus primo loco à Luca posita in descriptione S. Eucharistiæ, deinde calicem cum sanguine: adeoque corpus dignitate prius esse, poculum posterius (si hoc quidem ullius argumentum dignitatis esset:) quod Salmasii opinioni planè est contrarium. Conf. *Walaum* in Luc. XXII, 17. p. 760. (4) Auctor Constitut. Apostol. non tantum sanguinem ante corpus, sed etiam corpus ante sanguinem, panem ante calicem nominat, ut Lib. II, cap. 37. Tom. I. concil. Suriif. 59. *Sacerdotes vos saluari corpore & pretioso sanguine dignos reddiderunt.* & cap. 61. f. 67. *Accipiant singuli per se ordine Dominicum corpus & pretiosum sanguinem.* & lib. VIII, cap. 17. f. 115. *Offerimus tibi Regi & DEO secundum ipsius ordinationem panem hunc & calicem hunc &c.* & rursus f. 116. *Rogamus te, --- mittas sanctum Spiritum tuum super hoc sacrificium, --- ut ostendat hunc panem corpus Christi tui, & hunc sanguinem Christi tui.* & cap. 21. ejusd. libri f. 117. *Percepto pretioso corpore & pretioso sanguine Christi, gratias agamus ei, &c.* Ex his igitur & ejusmodi aliis locis concludendum potius contrarium esset, si collocatio vocum ullum hîc dignitatis sacramentalis præberet argumentum. sed non præbet; saltem in hoc auctore. Is enim ea, quæ ipse aliis præfert, sæpissimè post ea, quibus illa præfert, solet nominare ac ponere.

nere. Episcopum super omnes extollit lib. II. cap. 30. f. 58. & cap. 38. f. 60. nihilominus tamen Diaconum ei præponit cum eo ipso loco cap. 30. tum etiam alibi cap. 34. & 35. f. 59. & 48. f. 63. & 62. f. 67. Similiter Diaconum nominat ante Presbyteros lib. II. cap. 30. & 51. f. 63. Presbyteros ante Episcopum lib. II. cap. 62. f. 67. Laicos ante Clericos lib. III. cap. 20. f. 74. sic Laicum præponit Episcopo, filium Patri, servum Domino, discipulum Magistro, militem Regi, lib. II. cap. 17. f. 51. (5) Nec alter *Clemens* in epist. ad Corinth. rationem dignitatis habuit in collocandis verbis. Nam eo ipso loco, quem Salmasius laudat, p. 64. carnem præponit animæ Christi, & antea p. 54. idem Apostolos nominaverat ante Christum, Christum ante DEUM Patrem.

LII. Alterum argumentum, quod ille omnium postremum fecerat, ductum inde, quod Christus calicem vocat Novum Testamentum in sanguine suo, 1. Cor. XI, 25. Luc. XXII, 20. & sanguinem, sanguinem Nov. Test. Matth. XXVI, 28. Marc. XIV, 24. addit Hebr. X, 29. & huic subjungit illud *Ambrosii* ex Comm. in 1. Cor. XI. *Testamentum N. sanguine Christi constitutum est.* &c. Verùm hæc consequentia tum demum fortè aliquid valeret, si corpus à constitutione N. T. prorsus excludendum esset. At hoc sacris repugnat literis: hæ enim docent (1) cum omne Testamentum confirmandum morte Testatoris esse, Hebr. X, 16, 17. tum Novum etiam Test. confirmatum morte Servatoris esse, ibid. comm. 15. Mortis autem illius causa non tantum effusio sanguinis, sed etiam traditio corporis fuit. Immo nisi corpus in mortem fuisset traditum, sanguis effunditur in cruce non potuisset. Quam necessaria igitur ad N. T. effusio sanguinis fuit, tam necessaria etiam fuit traditio corporis in mortem. (2) Deinde corpus disertè dicitur pro nobis *κλῆμα* *παρα* *δο* *θενον*, *fractum*, 1. Cor. XI, 24. & *διδόμενον*, *datum*, Luc. XXII, 19. idque in eâ ipsâ actione, quâ institutus calix N. T. est. Atque illa traditio vocatur *παραδοχή* *ἡ σώματος* *τοῦ* *Ἰησοῦ* *Χριστοῦ*, *oblatio corporis Jesu Christi*, per quam sanctificati sumus, Hebr. X, 10. quâ Christus consumavit in sempiternum sanctificatos, comm. 14. Non ergo solo Christi sanguine, sed etiam corpore in mortem tradito constitutum N. T. est. (3) Quid? totus Christus pro nobis

nobis semel oblatus esse dicitur, Hebr. IX, 14, 28. ut esset mediator N. T. comm. 15. & *ὁ ἁγίου* & I. Testator. Ut ergo testator & N. T. mediator factus non tantum effusione sanguinis, sed etiam oblatione corporis sui, è quo sanguis promanavit: ita corporis æquè oblatio atque effusio sanguinis ad constitutionem N. T. pertinet. (4) Ambrosianorum illorum commentariorum in Epistolas Pauli quæ sit auctoritas, Salmasium non potest latere. Ambrosii non esse, cujus præ se ferunt nomen, dudum evicere rerum periti, etiam è Reformatis. Vid. Rivet. Crit. S. lib. III. cap. 18. p. 321. Coci Censur. p. 275. seq. conf. Gerhardi nostri Patrol. p. 281. seqq.

LIII. Venio ad tertium argumentum, è Physicis petiturum. *Vinum*, inquit, *sanguinis signum est in his Sacramentis, sanguis autem animam denotat, ut panis corpus sive carnem. at anima, quæ in sanguine esse putatur, corpore & carne nobilior.* Viderur igitur ita colligere velle: Si in sanguine est anima, quæ corpore & carne est nobilior, sequitur, quod calix præstantior pars Sacramenti Eucharistiæ sit. Quæ quomodo cohereant, nemo non videt. Primo (1) anima est in sanguine, sed in eo, qui cum corpore conjunctus, non qui ab eo separatus est: est in sanguine, sed non solo: nam in corpore etiam habitat. Si ergò præsentia animæ in sanguine argumentum dignitatis ejusdem est, corpori etiam hæc vendicetur dignitas necesse est ob eandem præsentiam. (2) Et licet sanguis præcipuum fortè animæ instrumentum & vehiculum sit, non tamen alia ex eorum dignitas, quàm naturalis, quæ in Sacramento Eucharistiæ non spectatur, ideoque ab hæc quæstione aliena est. (3) Quàm falsum autem, vinum in S. Eucharistiâ nudum esse sanguinis signum, quod intelligere magis, quàm dicere Salmasius videtur; tam falsum etiam, sanguinem in hoc sacramento denotare animam: sanguis n. hæc ejusmodi est, qui verè & propriè bibitur: at anima non bibitur. Sanguis ejusmodi est, qui pro nobis propriè effusus in arâ crucis: at licet animam Christus dicatur *θεῖναι*, ponere, Joh. X, 15, 17, 18. nusquam tamen dicitur eandem propriè *ἐκχύνειν*, effundere.

LIV. Quartum argumentum ab auctoritate Ambrosii sumsit, cujus hæc verba laudat: *Testamentum ergo sanguine*

constitutum est, quia beneficii divini sanguis testis est. In cuius ty-  
pum nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis & ani-  
ma nostra percipimus. Quia sanguis Domini sanguinem nostrum  
redemit, i.e. totum hominem salvum fecit. Caro enim Salvatoris  
pro salute corporis. Sed nihil hoc testimonio proficit. Primo (1)  
Commentarii isti Ambrosii non sunt, ut modò dictum, non est  
ergò tanta eorum auctoritas, quanta requiritur ad tale quid  
cordatioribus persuadendum. Deinde (2) verba ista, cujus-  
cunque tandem sunt, quicquid prædicant de sanguine, non  
continuò negant de corpore sive carne. Unius positio non est  
alterius exclusio. *Novum Test. sanguine constitutum*: constitu-  
tum etiam corporis oblatione est, ut modò docuimus. Immodò  
ipse Commentariorum citatorum auctor verbis proximè præ-  
cedentibus, nos in edendo & potando carnem & sanguinem, qua  
pro nobis oblata, N. T. in his consecutos esse ait. *Sanguis Domini  
totum hominem salvum fecit*. Fecit etiam corpus, utpote pro  
nobis datum, fractum, oblatum, Hebr. X, 10. 14. *Caro Salvato-  
ris pro salute corporis*, sed non solius: etiam pro animæ salute:  
quia data pro mundi vitâ, & fide manducata æternam affert  
vitam, Joh. VI, 51. Denique (3) si hoc testimonium sufficit ad  
dignitatem calicis præ pane & corpore probandam; alterum  
etiam, quod modò adduximus, idoneum erit ad præstantiam  
carnis præ sanguine confirmandam. Illi quippe priorem lo-  
cum dedit, quod argumentum dignitatis esse ipse Salmasius  
credit & aliis vult persuadere.

LV. Quintum mutuatus à veterum ratione loquendi  
est. Hi enim *calicis* appellatione totam interdum intelligebant  
Eucharistiam. Hinc Latinis *Natalis Calicis* dictus dies Cœnæ  
Domini est, i.e. feria quinta ultimæ hebdomadis Quadragesi-  
mæ, quâ Christus cœnam instituit, *Elig.* homil. X. Hinc *Maxi-  
mus* Monachus etiam in quæstionum è Scripturâ solutionibus  
ostensurus, quid differant Eucharistia & Baptismus, solum cali-  
cem pro toto Sacramento nominat, in hunc modum quærens:  
*τίς ἢ ἡ σφραῖς τοῦ τοῦ καὶ βαπτισματός*; quæ fufius explicat  
*Salmasius* l. c. Verùm hæc conclusiuncula non tantùm nulla,  
sed ipsi etiam Salmasio contraria est. Nam si vox calicis pro  
toto

toto Sacramento posita efficit, calicem nobiliorem esse ac potiore Sacramenti partem : efficiet quoque eadem ratione vox *corporis* , pro toto Sacramento posita, corpus potiore ac nobiliorem Sacramenti partem esse. Ita verò sacram Cœnam sæpè appellant veteres : inter alios *Tertullianus* lib. de Orat. cap. ult. f. 793. & de Idol. c. 7. f. 731. & de pudicit. c. 9. f. 752. & c. Quod ipsum etiam *Casaubonus* Exerc. XVI. ad ann. Baron. n. 34. p. 375. fusè persequitur. Eandem ob causam etiam *Fractio panis* potior & nobilior S. Cœnæ actus vel pars esset : quia & hâc appellatione totum significatum sacramentum est veteribus, ut è *Casaub.* l. c. n. 38. videre licet. Quid ? in ipsâ Scripturâ S. corpus Christi pro totâ ejus H. N. ponitur, 1. Petr. II, 24. Nec tamen *Salmasius* vel alius idèò faciliè dixerit, nobiliorem ac potiore esse Humanæ naturæ partem.

LVI. Sextum denique ex ritu Judæorum duxit, quos à poculo vini Cœnam Paschalem auspicatos, sabbaticas quoque ita initiasse scribit p. 215. addit, Græcos quoque aliquando cœnam à potu inchoasse, & inde Romanos. Sed & hæc ratio prælationem calicis parum juvat, immò nihil. Nam (1) Ritus Judæorum, Græcorum & Romanorum nos non informant ita, ut, quod ipsi præstantius in suis conviviis duxerunt, idem & nos in S. Domini cœnâ ducere debeamus. habeant illi (sua instituta, nos Scripturam ducem sequimur & magistram. hâc sine sapere in mysteriis, desipere est. (2) Nec ritus ille Judæorum & gentilium, quat. talis, præstantiæ indicium præbet. Nam si omne id, à quo inchoata convivia veterum sunt, præstantius fuisset cæteris in convivio apposis ; omnia certè fercula superassent ova, quia primùm olim apponi solita ap. Romanos, teste *Horat.* lib. I. Sat. III. & *Cic.* lib. IX. ad Famil. ep. 20. vid. *Chabor.* ad *Horat.* Tom. II. f. 43. vicisset etiam lactuca, quam *Martialis* suo ævo inchoasse dapes testatur lib. XIII, 14. (3) Accedit, quod mos iste Græcorum & Romanorum non fuerit omnium temporum, nec omnium locorum. *Græcos aliquando à potu cœnam inchoasse* scribit. ergo non semper, quia aliquando. quod ipse etiam infra de vetustissimis fatetur Græcis. *Conf. Stuck.* Antiqu. Conviv. lib. III. cap. VI. f. 298. Apud Romanos hoc Tiberio principe

principe demum institutum, ex *Plinii* lib. XIV. refert. Non ergo ante Tiberium mos iste apud Romanos invaluerat. Et quo jure posterius primum locum potioni dederunt, eodem etiam majores eorum primum locum cibi reliquerunt. Et si potio ideo potior cœnæ pars habenda ex sententiâ eorum, qui primam fecerunt; digniores etiam potione cibi existimandi essent, ex opinione eorum, qui illis primas dederunt. Ac proinde nihil certi tali ex consuetudine concludere licet.

Ἐπίδειξις Κνεῖς MENSÆ DOMINI.

LVII. Hic verò altare quoddam propriè ita appellatum comminiscuntur Pontificii, nominatim *Bellarminus* lib. III. de cult. Sanct. cap. 4. Tom. II. Oper. f. 463. & lib. II. de Miss. cap. 14. *Balth. Hagerus* in collat. A. C. & Conc. Trid. cum verbo DEI p. 445. seq. *Joh. Georg. Herberus* disp. Liturg. assert. 8. *Thomas Henrici* anat. A. C. art. 12. quæst. 1. access. 3. *Martin. Becanus* O. pusc. Tom. II. op. XI. lib. III. cap. 5. f. 1044. & Manual. lib. I. cap. 10. arg. 4. f. 1462. *Fev. ardentius* annot. in Iren. lib. IV. cap. 34. f. 367. *Laurent. Bayerlinck*. Theatr. vit. hum. Tom. VII. voc. Sacrificii f. 26. Immò in Concilio Tridentino præcipuum in hoc loco præsidium postum ad tuendum Missæ Sacrificium, autore *Petro Suavi Polano* Hist. Conc. Trid. lib. VI. f. 612.

LVIII. Sed valdè imperitè. (I.) Apostolus enim de convivii hîc agit, in quibus pocula bibuntur, & mensæ i. e. epularum participes fiunt convivæ. At nec gentiles, nec Corinthii Christiani epulari in aris solebant, sed in mensis. Quamquam nec ipsum quidem illud genus supellectilis, quod mensam propriè vocamus, hîc intelligi debeat. Neque enim mensæ lignæ participes fiebant Corinthii epulantes, sed ciborum in mensis appositorum partem capiebant. Et si mensæ nomine genus supellectilis intelligi deberet; deberet etiam voce poculi tale quid intelligi. At hoc esse non potest: quia non bibebant vas aliquod, sed vinum in vase contentum. Ergo nec illud. *μετανομιῶς* igitur mensæ vox interpretanda de ipsis epulis est, quoposito corrui tota altaris structura. Argumen-

tot:

tor: Mensa epuli non est altare sacrificii. At mensa Domini h.l. est mensa epuli. Ergo, de Majore cum ex ratione epuli & sacrificii, tum ex antiquitatis testimoniis constat, conf. sect. I. §.1. Minor his probatur rationibus. (1.) Cujuscunque mensæ μετέχομεν participes reddimur, & quidem per manducationem, illa est mensa epuli. At mensæ Domini, quæ h.l. nominatur, μετέχομεν, participes ita reddimur: quippe est ipse ille panis, qui est κοινῶν τῶ σώματι τῆ Χριστοῦ comm. 16. & de quo uno omnes participamus comm. 17. edendo nempe, secundum institutionem Christi cap. XI, 24, 26. Ergo & mensa Domini h. l. est mensa epuli. (2.) Quod significat mensa dæmoniorum, ut mensa est, idem significat mensa Domini, ut mensa est: sunt enim Opposita, quorum eadem est ratio, ita ut quo sensu unum accipiatur, eodem quoque intelligendum sit alterum. At mensa dæmoniorum est mensa epuli: est enim participatio eorum, quæ gentes dæmoniis immolarunt comm. 20. conjuncta cum bibitione poculi dæmoniorum comm. 21. talis autem participatio non potest esse alia, quàm quæ per modum epulifit. adde, quod gentes in mensis, non in aris epulari consueverint, ut supra dictum. Ergo & mensa Domini est mensa epuli. (3.) Cui mensæ adjunctum poculum est, quod bibitur, illa est mensa epuli sive convivii. hęc enim ut edi, ita & bibi solet. At mensæ Domini h.l. est adjunctum poculum quod bibitur. Ergo mensa Domini h.l. est mensa epuli.

LIX. (II.) Accedit consensus SS. Patrum, qui tantum abest ut altare quoddam hęc statuunt, ut potius evertant. *Clementis Alexand.* mensam Domini l.c. vocat θεῖον καὶ πνευματικὸν τροφὴν, *divinum & spirituale nutrimentum.* At tale non est altare quoddam terrenum; sed sacramentalis ille cibus. *Chrysostomus* cum mentam istam l.c. tantis extollat laudibus, ut appellet *nervum nostræ salutis, fiducia fundamentum, salutem, vitam &c.* certè non potest altare quoddam terrenum intellexisse, sed potius panem cum corpore Christi in S. Eucharistiâ. Huic enim, non illi istæ competunt laudes, quas pluribus ibidem persequitur S. Pater. Nobis quidem hęc eas attingere non licet, hoc tantum addimus, quod idem paulò ante f. 534. E dixerat:

dixerat : ἡ τῆς θυσίας, ἀλλ' αὐτὸ τὸ Χριστὸ κοινωοῦμεν. Non enim altaris, sed ipsius Christi sumus participes. At mensa Domini participes sumus comm. 21. Ergo mensa Domini non est altare. Eandem sententiam legas quoque ap. Theophylactum comm. in I. Corinth. X. com. 18. f. 245. Hieronymus in h. l. f. 315. Non potestis, inquit, & DEI & demonum esse participes. Participatio ergo mensae Domini Hieronymo est participatio DEI, non altaris, ut Bellarmino. Theodoritus in h. l. f. 66. edit. Colon. 1573. Quomodo fieri potest, ut Domino communicemus per preciosum eius corpus & sanguinem, & rursum demonibus, per eius, quod idolo immolatum, nutrimentum? Intelligit ergo per mensam Domini non altare, sed corpus Christi, perinde ut Clem. Alexand. Chrysof. Theophyl. & Patres ferè omnes, quibus solennis ista appellatio est.

LX. (III.) Patribus jungo socios ad versariorum, idem, vel non multo aliud, altare tamen minimè hīc docentes. Sic ē veteribus Thomas super h. l. lect. V. f. 91. Ecce, inquit, secunda ratio, quare abstinendum est ab idolothytis, quae est talis. Omne quod excludit à communionem corporis & sanguinis Christi, vitandum est: Comestio idolothytorum est huiusmodi: Ergo vitanda est. Primò ergò ostendit, quod huiusmodi comestio excludit à communionem sanguinis Christi: Secundo, quod & à communionem corporis Christi, ibi ( Non potestis mensa Domini participes esse &c. ) &c. Vides, Thomæ calicem Domini esse sanguinem, & mensam Domini corpus Christi. Similiter Dionysius Carthusianus, comm. in h. l. f. 51. interpretatur. Non potestis, inquit, mensa Domini participes esse i. e. corpus Domini salubriter sumere, & mensa demoniorum, i. e. escas idolis immolatas indiscretè edendo, &c. In primis verò è recentioribus Georgius Ataiides, Regis Lusitanæ Theologus in Concil. Trident. congregatione A. C. 1562. die 24. Julii à prandio habitâ, hunc vindicavit locum à depravatione aliorum sui gregis. Sicenim ait: Quod B. Paulus dicit de participando Sacrificio Iudaorum, & de mensa demoniorum, si accipiuntur ritus à DEO per Moysen instituti, & qui ab ethnicis inter sacrificandum adhibiti, non inde effici Eucharistiam esse sacrificium. Notum esse apud Moysen, in sacrificiis votivis

votivis totam victimam fuisse exhibitam DEO : atque unam partem eius igni absumentam , quæ erat sacrificium. ex eo quod eræ relicuum , partem fuisse sacerdotis , & cateram partem offerentis. Utrumque partem suam comedisse , qui cum ipsi collibitum esset : neque id vocatum sacrificare , sed sacrificatum participare. Id ipsum Ethnicos imitatos. Etiam partem eam , quæ in altari non absumentebatur , à nonnullis vendi solitam : atque hanc esse mensam , quæ non est altare. Perspicuum ergo B. Pauli sensum hunc esse : Sicuti Hebraei partem eam manducantes , quæ ad offerentem spectabat , nempe sacrificii reliquias , participes fiunt altaris ; & Ethnici ad eundem modum : ita nos comedentes Eucharistiam , participare sacrificium erucis. Atque id esse , quod dixit Christus : Hoc facite in meam commemorationem , & illud D. Pauli : Quoties comederitis hunc panem & biberitis hunc calicem , Christum mortuum pro vobis annuntiabitis , referente Petro Suavi Polano. Hist. Conc. Trid. lib. VI. p. 614, 615.

LXI. Sed videamus tandem aliquando , quid contra moliantur Pontificii , & quomodo interpretationem suam falsam tueri conentur. Bellarminus lib. I. de Miss. cap. 14. tria ex Apostoli verbis colligit argumenta , quibus altare Missæ hîc confirmari posse existimat. Primum ducit ex comparatione mensæ Domini cum mensâ gentilium & Judæorum. Habet autem ita : Si Apostolus apertissimè comparat mensam Domini , unde sumimus Eucharistiam , cum altari gentilium , ubi immolabatur idolis , & cum altari Hebræorum , ubi immolabantur sacrificia carnalia DEO vero , sequitur inde , mensam Domini esse etiam quoddam altare , & proinde Eucharistiam esse sacrificium. nunquam enim altare propriè dictum erigitur , nisi ad sacrificia propriè dicta. At verum prius. Ergo & posterius. Resp. (1.) Majorem non esse simpliciter veram. Dist. enim inter altaris propriè dicti formale , quod proprium altaris est ; & materiale , quod altari cum aliis rebus est commune. Si Apostolus altare vel gentilium vel Judæorum secundum formale confert mensæ Domini , potest tale quid inde sequi ; sin quoad materiale tantum , non magis sequitur , quàm hæc : Christianorum sacrificia debere esse cruenta & incruenta , qualia nempe He-

pe Hebræorum quoque & gentilium fuisse leguntur. Item, Christianos debere pluribus Diis sacrificare, quod & gentes idem fecerint. Eosdem porro debere reliquiis tantum corporis & sanguinis Domini frui, quemadmodum gentiles & Hebræi reliquiis victimarum. Tum vel duo tantum iis habenda altaria esse, ut Judæis sub lege; vel infinita ferè, eaque non in templis tantum, sed & sub dio, in lucis, litoribus, montibus, speluncis &c. more gentilium. Denique participes Christianos promiscuè fieri oportere tam corporis, quam sanguinis Christi, quod gentiles cum mensâ conjunxerint poculum dæmoniorum; quod tamen ipsis Pontificiis videtur absurdum. Restringsenda igitur Major est, & quidem ita: Si mensa Domini confertur cum altaribus Judæorum & gentilium, quoad formale, quoad actum sacrificandi, tanquam finem principalem, sequitur, esse altare. at ubi jam Minor? (2.) Quanquam hæc & sine additamento isto, ut per se jam erat posita, falsa sit. Falsum, inquam, Apostolum conferre mensam Domini, unde sumimus Eucharistiam, cum altari gentilium, & Judæorum. Contrarium patet ex verborum cõhæsione supra ostensâ. Falsum, loqui de mensâ Domini, unde sumimus Eucharistiam, loquitur de ipsa Eucharistiâ, adeoque vocabulum mensæ, non propriè, sed impropriè & quidem *μετωνυμικῶς* accipit. Falsum, nomine mensæ dæmonum intelligere altaria gentilium, ubi sacrificabant. mensas intelligit, ubi peracto sacrificio epulabantur vel potius epulas ipsas. Falsum porro vocem altaris comm. 18. accipere propriè. accipit *μετωνυμικῶς* pro cultu, qui à Judæis exhibebatur in altari, atque adeò pro religione Judaicâ. Et licet fingeremus, altare propriè dictum Apostolum hîc intelligere; falsum tamen, eum conferre mensam Domini cum isto altari. Confert inter se participationem corporis & sanguinis Christi comm. 16. & participationem altaris comm. 18. & *κοινωνίαν* dæmoniorum comm. 20. hoc sensu: Quemadmodum qui edunt hostias, participes fiunt altaris: ita & qui edunt panem & bibunt calicè τῆς εὐλογίας, fiunt participes corporis & sanguinis Christi: & qui edunt idolothyta seu dæmoniis immolata, fiunt *κοινωνοί* dæmoniorum. Eaque collatio ab ipso quoque

quòque afferitur *Thoma* in I. Cor. X. lect. V. f. 91. his verbis :  
*Nonne qui edunt hostias legales, participes sunt altaris legalis ?*  
*sicut qui edunt carnem Christi & sanguinem bibunt, participes*  
*sunt corporis.* Et paucis interjectis: *Nonne qui edunt hostias i-*  
*dolis scil. immolatas, participes sunt altaris demonum & idolo-*  
*rum ?* q. dicat sic. *Est ergo sua ratio talis. Qui edunt hostias*  
*oblatae altari, participes sunt altaris. à simili, qui edunt hostias*  
*immolatas idolis, participes sunt idolorum sive demoniorum.* à *Ly-*  
*ra* quoque, Comm. in h. l. cujus verba ita habent: *Nonne qui e-*  
*dunt hostias, participes sunt altaris, q. d. Sic ex hoc concluditur*  
*à simili, quod percipientes corpus & sanguinem Christi efficiuntur*  
*participes ipsius modo dicto.* Exhorum igitur sententiâ, ii qui  
 edunt hostias, conferuntur iis, qui edunt corpus & sangui-  
 nem Christi: & qui participes sunt ipsius Christi, iis qui par-  
 ticipes sunt altaris. quæ comparatio cum illâ Bellarminianâ  
 vehementer pugnat. Neque enim Subjecta neque Prædicata  
 eadem sunt. (3.) Præterea tenendum, Apostolum quidem  
 mensam Domini opponere mensæ dæmoniorum, sed non in  
 eo, quod utraque mensa altare sit, illa quidem Domini, hæc  
 dæmoniorum; sed quod utraque mensa participatio sit, illa  
 Domini, hæc dæmoniorum: idque non per sacrificium, sed per  
 modum cibi & potus sacri. (4.) Et licet altera mensa altare  
 esset, altera non item, propterea tamen nihil huic Paulinæ  
*avt. dicit* decederet. Sufficit, utramque esse cultui sacro de-  
 stinatum, quod rectè observavit *B. Dorscheus* Myf. Miss. cap.  
 VIII. p. 275. Hactenus primum Bellarmini argumentum.

LXII. Alterum sumit à comparatione Eucharistiæ  
 cum sacrificiis gentilium. *Apostolus* enim, inquit, *apertissimè*  
*dicit, ita nos fideles sumere de mensa Domini corpus & sangui-*  
*nem Domini, ut sumunt Judæi hostias & gentiles idolothya ex*  
*suis altaribus seu mensis.* Quæ comparatio inepta sit necesse est,  
 & perperam ab Apostolo adducta, si Eucharistia non est sacrifi-  
 cium DEO immolatum, sicut cibi illi Judæorum & gentilium  
 sunt sacrificia DEO vel idolis immolata. Verùm &c. (1.) Quod  
 illi apertissimum videtur, id obscurum adhuc iis est, qui scru-  
 tantur Scripturas. Neque enim Apostolum vident scripsisse,

ita nos sumere de mensâ Domini corpus & sanguinem Domini, ut sumunt Judæi & gentiles hostias ex suis altaribus. hoc tantum animadvertunt significari : quemadmodum Judæi edendo hostias participes facti sint altaris, ita & Christianos edendo panem & bibendo calicem τῆς εὐλογίας κοινωνῆς fieri corporis & sanguinis Christi : ita & gentiles edendo idolothyta κοινωνῆς fieri dæmoniorū. (2.) Deinde si Christiani ita sumunt de mensâ Domini corpus & sanguinem Domini, ut sumebant Judæi hostias & gentiles idolothyta de suis altaribus, sequitur, Christianos de mensâ Domini sumere (α) tantum reliquias sacrificii, non integrum corpus Christi; (β) corpus ἀψυχον, non ψαψυχον; (γ) cruentum, non incruentum; (δ) non cum symbolis externis, sed sine iis; (ε) non manducatione Sacramentali, sed naturali : ita enim Judæos & gentiles de victimis suis edisse deprehendimus. At isthæc omnia absurda & à veritate aliena. Ergo nec melior ipsa similitudo erit, ex qua tanquam fonte manarunt. Manant inde & alia, quæ nec ipsis, credo, Pontificiis probabuntur. Nam (3) si ita Christiani sumunt de mensâ corpus & sanguinem Domini, quemadmodum Judæi & gentiles victimas de altaribus sumebant, sequitur, Christianos omnes, quotquot epulo interfunt sacro, sumere debere sine exceptione & corpus & sanguinem Christi : id enim Judæos æquè ac gentiles in suis sacris fecisse legimus. Cur ergo Laicos à communione sanguinis excludunt? cur sacerdotes sibi solis poculum τῆς εὐλογίας vendicant? Porro si ita Christiani sumere debent de mensâ corpus & sanguinem Domini, ut Judæi & gentiles victimas de altaribus, sequetur etiam, sumere eos oportere corpus nullâ peregrinâ specie indutum : neque enim Judæos neque gentiles tale quid edisse proditum est. Cur ergo fingunt, sub externâ panis specie latere corpus Christi, ex ipsâ panis substantiâ, admirandâ quâdam metamorphosi, virtute infinitâ ortum? Nolo urgere plura, quæ suppeditaret ista similitudo, si Apostoli esset. (4.) Sed fingamus esse, neque enim adeò difficiles sumus, ut prorsus negemus, Christianos quodammodo ita de mensâ Domini edere, ut Judæi & gentiles edere de altaribus solebant.

solebant. Quin immò asseveramus, Christianos non minus  
quàm Judæos & gentiles, in participatione mensæ Domini  
edere SACRIFICATA. Quis enim ignorat sacrificium cru-  
cis? At verò illi mihi vicissim largiantur oportet, si propo-  
sitam similitudinem tueri volunt, quod, quemadmodum Ju-  
dæi & gentiles semel tantum sacrificata comederunt; ita &  
Christiani semel tantum sacrificata in mensa Domini edere de-  
beant. Quorsum igitur toties illa iterata in mensâ Domini  
corporis ac sanguinis Domini sacrificatio? Quorsum Missa?  
Aut tollatur hæc, aut negetur, Christianos ita de mensa Do-  
mini edere debere corpus & sanguinem Domini, ut gentiles  
de altaribus suis idolothyta.

LXIII. At gentiles toties sacrificarunt, quoties idolothyta  
comederunt. Ergone & Christianis toties sacrificandum, quo-  
ties sacrum epulum frequentant? Minimè id quidem verò.  
Pugnat hoc cum perfectione sacrificii Christi omnibus nume-  
ris absolutâ, quæ vel omninò periret, vel valdè imminueret-  
ur, si novâ quotidie iteratione opus haberet Hebr. IX, 25, 26.  
Tum verò gentilium & Hebræorum victimæ totæ destruebantur,  
adeoque novis opus erat, si epulum instituendum sacrum.  
At nostra victima perennis est, nec tantum sacrificiationi olim  
semel factæ, sed & epulis quotidie institutis, & in posterum  
instituendis superest.

LXIV. Quod verò Bellarminus putat, nec hâc viâ nos evade-  
re posse, si dicamus, eos, qui sumunt Eucharistiam, participare  
sacrificium peractum in cruce, id certè nunquam obtinebit  
ratione illâ, quam subjecerat his verbis: *Nam Apostolus nos  
comparat mensam dæmoniorum cum cruce, sed cum mensâ Eu-  
charistia, proinde vult esse mensam Eucharistia verum altare ad  
sacrificandum erectum. Et in hoc sita est comparatio; quod sicut  
gentiles manducabant immolata in altari, ita nos manducamus,  
quod immolatur in mensâ Eucharistia. Deinde sacrificium ex  
immolatione factum in cruce fuit aliquando, & postea desit esse,  
nec potest rursus fieri, nisi per novam immolationem. Verùm (α)  
nec cum cruce, nec cum mensâ Eucharistia propriè dictâ Apo-  
stolus confert mensam dæmoniorum, epulum utrobique in-  
telligit.*

telligit. (β) Nec comparatio illa, ut à Bellarmino traditur, Apostoli est, sed hominis Apostoli verba malitiosè pervertentis, quæ verò inde consequantur absurda, modò dictum, dicta repetere nolumus hoc tantùm petimus, ut Pontificii istam nobis ex Scripturâ demonstrant comparisonem, & edisserant, ubi Apostolus vel scripserit, vel subobscurè saltem significarit, Christianos edere immolata in mensâ Eucharistiæ, tanquam altari propriè dicto. Edisserant, inquam, si viri sunt, aut desinant ita nugari atque id dicere, quod probare nullò modo possunt, ac ne conantur quidem. (γ) Immolata quidem edere, concedimus; etiam, in altari immolata; sed in altari crucis, non in mensâ Eucharistiæ, quæ ut altare esse proberur, altare jam esse temerè fingitur. (δ) Nec consequentia valet; Si gentiles paulo ante epulum, id, de quo ederunt, sacrificarunt, sequitur, quod Christiani etiam paulò ante epulum sacrum, id, de quo edunt, sacrificare debeant. Obstat enim sacrificii Christi perfectio infinita, obstat corporis & sanguinis Christi nunquam consumendi ἀφθαρσία. (ε) Desisse sacrificium crucis simpliciter, non credo. Desiit externus actus, fructus autem nunquam desinet: quia intercessio sacerdotalis perpetua, nec justitia DEI aliud requirit sacrificium, cæteraque omnia hujus tantùm quandam præ se ferunt imaginem. Cæterùm ad fructum illum percipiendum nullâ opus immolatione novâ est. sufficit fides cum verbo & Sacramentis, quorum beneficio omnes sacrificii Christi fructus in nos redundant. Sed quid attinet plura de hoc facere verba? cum *Dorscheus* noster jam omnes Pontificiorum tenebras, quas sacrificio crucis offundunt, cœlestis veritatis radiis discusserit l. c. cap. I. p. 20. seqq.

LXV. Reliquum est, ut, quid tertium idemque ultimum Bellarmini argumentum in recessu habeat, videamus. Sum sit autem illud ex comparatione societatis, quam habemus cum DEO per manducationem Eucharistiæ, cum societate, quam habebant gentiles cum idolis per manducationem idolothytorum. *Paulus enim, inquit, docet, eos, qui manducant idolothyta, ita conjungi cum idolis, ut censeantur veri idololatra. Ideo namq̄,*  
*initio*

in initio dixit: *Fugite ab idolorum culturâ. Utitur igitur hoc argu-*  
*mento: Qui manducat idolothyta, fit particeps altaris idolorum:*  
*Ergo consentit in sacrificium idolorum, immò fit socius immolanti-*  
*um idolis. Ergo est idololatra: sacrificium enim est proprius actus*  
*latriæ. Quare si apta est Pauli comparatio, oportebit etiam circa*  
*Eucharistiam ita argumentari: Qui manducat Eucharistiam, fit*  
*particeps altaris Domini, ergò consentit in oblationem Eucharistia*  
*DEO factam, immò fit socius eam offerentium: Ergo DEUM hæc*  
*oblatione cultu latriæ honorat. Verùm (1) Pauli comparatio in se*  
 satis apta est, sed non extendenda ultra suos limites est, ut Bellar-  
 minus facit. aliàs multa inde oriuntur absurda, quæ ex parte jam  
 comemorata sunt. (2) Inprimis igitur hîc considerandû com-  
 parationis tertium est, quod participationem esse, supra osten-  
 dimus: immolationem, nunquam evincet Bellarminus. (3) A-  
 postolus enim confert Eucharistiam cum epulo, non cum sacri-  
 ficio præcedente: alioquin non *mensam Domini*, sed *altare Do-*  
*mini* dixisset, ut cœna sacrificiis paganorum, non autem sequen-  
 tibus epulis opponeretur. (4) Nec dicit, edentem idolothyta  
 fieri participem altaris, sed *dæmoniorum*. (5) Et licet dixisset,  
 tamen nõ intelligendum esset propriè altare quoddam ma-  
 nibus hominum ex ligno lapideve fabricatum, sed *μετωνυμικῶς*  
 cultus in ejusmodi altari *dæmonibus* præstitus. Id enim vult  
 ejus argumentatio, ejus intentio. (6) Hanc verò mirum in mo-  
 dum pervertit Bellarminus, atque id fingit, quod Apostolo  
 hæc scribenti nunquam in mentem venit. Rationem ejus argu-  
 mentandi, supra propositam, hîc repetere nolumus. (7) Nec se-  
 quitur, si gentes per suum sacrificium idolis cultum latriæ exhi-  
 buerunt, idèò Christianos quoque per sacrificium aliquod ad-  
 spectabile DEO subinde cultum *λατρείας* exhibere debere. Nor-  
 ma n. cultus Christiani non exemplum gentilium est, sed divi-  
 na voluntas in N. T. revelata. Adde quod Christiani habeant  
 sacrificium crucis à Christo præstitum, per quod Deum Pa-  
 trem adorant, quotiescunque ad Domini accedunt mensam.  
 Idque cum sit perfectissimum & perenne, non indiget ullo ex-  
 terno alio. (8) Sed salva res est. Largiamur Bellarmino istam  
 quodammodo *πρόβλεψιν*; permittat & nobis ille vicissim, ut Apo-

stoli potius, quam ipsius verbis illam exprimamus. Sic autem habet: Qui manducat idolothyta fit particeps mensæ dæmoniorum comm. 21. & ipsorum dæmoniorum comm. 20. Ergo placet ei sacrificium idolorum, imò fit socius idola per illud sacrificium colentium, adeoque & ipsa idola cultu latriæ honorat. Quæ verò respondet *ἀπόδοσις*? an illa Bellarminiana? Minimè. hæc potius: Qui manducat panem & bibit calicem *τῆς ἐνλογίας*, fit particeps mensæ Domini & ipsius corporis & sanguinis JESU CHRISTI, comm. 16, 21. Ergo placet ei sacrificium corporis & sanguinis Christi, imò fit socius DEUM per illud sacrificium colentium, vel etiam ipsius Christi in arâ crucis sese immolantis, adeoque & ipsum DEUM cultu *λατρείας* honorat. Eat nunc Papicola, & commentitium sacrificium Missæ inde extorqueat, si potest. Nunquam autem poterit, nisi vim Apostoli verbis intulerit, quod tantum abest ab interpretis Christiani integritate, ut nihil magis illi esse possit contrarium.

*Μετέχων* PARTICIPES ESSE.

LXVI. Qualem hîc *μετοχῶν* intelligamus, supra diximus. Sed aliam in S. Eucharistiâ comminiscuntur *Reformati*, talem nempe, quâ symbola quidem externa, non item corpus & sanguis Domini ore corporis sumantur, sive à dignis, sive ab indignis. Nobis jam non licet nec liber vel veram *μετοχῶν* pluribus firmare atque vindicare, vel commentitiam refutare. egerunt id jam alii, quos vide inprimis *Menzer*. *Elench. II. error. Sadeel. de Sacram. mand. T. I. Op. f. 2063. seq. Höpffner. Ilagog. de S. Cœnâ sect. II. art. I. cap. VII. p. 212. seq. Mauric. Exercit. Anti Calvin. Part. III. cap. II. §. II. p. 230. seq. & IV. p. 273. seq.*

*Καὶ τρώει τῆς δαιμονίων* ET MENSÆ DÆMONIORUM.

LXVII. *Alsare* hîc iterum somniant Pontificii, *Bellarminus* & *Becanus* ll. cc. Contra (1) gentiles non in aris, sed in mensis epulari solebant; (2) non cum altari, sed cum mensâ conjunctum erat *τροφῆσιν δαιμονίων*; nec (3) ad altaria, sed ad mensam illud bibebatur, ut supra dictum; (4) nec denique  
genus

genus quoddam supellectilis, sed μετωνομικῶς ipsas epulas hęc intelligit Apostolus, ut supra ostensum. Atque ita (s) interpretantur quoque *Dionys. Carthusian. & Georg. Artaides* ll. cc. Ipleque *Cornelius à Lapide* in h. l. n. 60. & 61. disertè negat, *Apostolum per mensam demoniorum intelligere altaria idololatrica gentilium, in quibus gentiles demonibus immolabant; sed ait intelligere mensas, in quibus post sacrificia peracta ex cibis & potibus sacrificatis convivium instituebant vel domi, vel in templis, 1. Cor. VIII, 10. X, 27.*

LXVIII. Habet tamen, quæ in contrarium afferat *Bellarminus*, nostrum inprimis petens *Chemnitium*. Primò ait falsum esse, non consuevisse gentiles ad aras idolorum discumbere. *Quid enim, queso, est, inquit, quod ait Apostolus 1. Cor. VIII. Si quis viderit eum, qui habet scientiam, recumbentem in idolio? quid enim est idoliur, nisi locus, ubi est idolum? Neque obstat, quod idem Paulus dicit 1. Cor. X. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate: Si quis dixerit, hoc immolatum est, nolite manducare &c. Nam utrumq; est verum. Solebant quippe gentiles & ad aras idolorum discumbere, & etiam de reliquiis immolatorum domi sua convivium instruere. Quare malè proponit *Chemnitius* quæstionem *Apostoli*. Nam etsi non erat quæstio, an liceret idolis sacrificare? tamen nec erat quæstio, an liceret in conviviiis gentilium interesse? sed, an liceret vesci idolothytis, & præsertim in idolio? & *Paulus* negat licere, quia hoc est socium fieri demoniorum & interpretativè sacrificare demonibus. Hactenus *Bellarminus*, cui quod falsum est, idem nobis est verissimum. Verissimum, inquam, non consuevisse gentiles ad aras idolorum discumbere. Mensis accubuisse legimus; aris, non legimus. Proferatur unum saltem ex antiquitate testimonium, quo id planum fiat. Locus *Pauli* 1. Cor. VIII, 10. id certè non efficit. Mentionem facit κατὰκειμένῃς ἐν εἰδωλείῳ recumbentis in idolio? Ergo ad aras? nulla consequentia. Ἐἰδωλείον vel significat mensam, in quâ epulæ celebrabantur, quam significationem hęc obtinere, fac. *Cellarius* & *Nic. Hönigerus* *Diction. Gr. f. 426.* volunt; vel epulum simulacrorum, ut *Erasmus* reddidit; vel adẽm seu templum idolorum, quod *Syro* placuit,*

placuit, appellanti בית המדרש *domum simulacrorum*, & *Beza*  
 in h. l. *Hieronimo* etiam in 1. Cor. VIII, 1. Tom. IX. op. f. 311.  
 Si prima vel secunda significatio valet, nihil minus è re Bellar-  
 mini est, quàm hic ipse locus. Nam qui mensæ vel epulis ac-  
 cumbit, aræ non accumbit. Non ara, sed mensa propter accu-  
 bitum est; propter sacrificium autem non mensa, sed ara. Sin  
 ultima obtinet significatio, quæ non obscure probari videtur  
 Bellarmino, aliud vix inde extorquebitur, quàm in templis ido-  
 lorum epulari consuevisse gentiles, quod sententiam nostram  
 supra positam firmat; at Bellarminum parum iuvat, vel certè  
 nihil. Neque enim omnis, qui in æde simulacrorum accumbit,  
 aræ continuò accubuisse videri debet. quando non solùm aræ  
 in templis gentilium positæ, sed multa præterea alia. Erant ite-  
 nis præter aras, etiam mensæ *Pausan.* Eliac. I. f. 325. erant sellæ,  
 Id. Attic. f. 48. aræ & lecti Id. Eliac. I. f. 320. & Arcad. f. 530.  
 erant simulacra, anathemata & vasa omnis generis, quæ tota  
 ejus τῆς ἐκείνης περιήγησις suppeditat. erant fontes, id. Lacon.  
 f. 206. & aquæ marinæ scatebræ, id. Arcad. f. 471. erant sepul-  
 chra, id. Bœot. f. 567. Attic. f. 25. *Clemens* in Protrept. *Euseb.*  
 Evang. Præp. lib. II. cap. 8. & *Cyrius* Alex. contr. Julian. lib. X.  
 f. 871. erant senacula, *Cic.* 3. Catilin. *Demosth.* contra Midiam.  
 erant æraria, *Thucyd.* lib. I. *Cic.* lib. 2. de legib. *C. Nep.* in Han-  
 nib. *Plaut.* Bacchid. *Paus.* in Phocic. &c. Si igitur omnis, qui  
 in idoleio accumbit, aræ accumbit; aræ etiam accumbit, quis-  
 quis accubuerit mensis illis, sellis, arcis, lectis, simulacris, fontibus,  
 in senaculo, porticu, ærario, sepulchris & cæteris. quòd cer-  
 tè tam absurdum est, quàm quod absurdissimum.

LXIX. Cæterum ubi accubuerint in idoleio homi-  
 nes, in gratiam Pontificiorum, qui id profus ignorare viden-  
 tur, breviter exponam. Nimirum erant in templis gentilium  
 mensæ, erant & cœnacula. Illud modo *Pausania* firmavi aucto-  
 ritate. hoc *Strabone* obtinebo teste. Is enim lib. X. Geogr. f. 487.  
 narrat, in insulâ Teno cultum fuisse Neptunum, ejusque tem-  
 plum magnificis instructum fuisse cœnaculis. Unde ratiocina-  
 tur, permultos eò confluere ad celebranda Neptuni sacra. Ver-  
 ba ejus habent ita: Τῆν δὲ πόλιν μὲν ἔχει μέγαλιν ἔχει, τὸ δ' ἱερὸν  
 τῆς

τῆ Ποσειδῶν ὁ μέγας ἐν ἀλσεῖ, τῆς πόλεως ἔξω, θεῶς ἄξιον ἐν ᾧ καὶ ἱστορία πεποιήται μεγάλα; σημεῖον τῆ συνέχευθη πληθῶν ἱκανὸν τῶν συνδυόντων αὐτοῖς ἀσυχετόνων τὰ Ποσειδῶνια. *Tenui urbem habet non magnam: sed extra urbem in luco est fanum Neptuni, dignum quod spectetur: in quo Ἔ cœnacula magnifica sunt adificata: magnum argumentum, permultos ad illud sacrificium communicandum consuere de propinquis, ut unâ Neptunia celebrent.* Habes igitur in templis cœnacula, ubi accumbebant gentiles & de idolothytis edebant. Quare tantum abest, ut antiquitas Bellarmino faveat, ut tota potius ei repugnet.

LXX. *Chemnitium* verò b. m. malè proponere quæstionem Apostoli, malè asserit *Bellarminus*, & ipse omnium pessimè proponit. Dixerat ille Exam. Conc. Trid. part. II. f. 345. quæstionē fuisse, an Christiani bonâ conscientia illis mensis seu epulis (scil. quæ instruerentur de idolothytis) interesse possent? sive quæstionem fuisse non de aris, ubi sacrificabatur; sed de mensis, ubi sacrificata comederent. Contra *Bellarminus* ait, quæstionem non fuisse, an liceret conviviis gentiliū interesse? sed an liceret vesci idolothytis, & quidem in idolio? Quasi verò pugnant hæc inter se, ita ut de uno si quæretur, alterum non possit simul intelligi. Quin potius unum in altero continetur, & de utroque quæritur: Scilicet, an liceat conviviis gentiliū interesse & vesci idolothytis? Neque enim spectandi tantum causa inibant convivia, sed vescendi. Hinc *Theophylactus* in I. Cor. VIII, 10. ἐν εἰδωλείῳ καὶ κεῖσθαι appellat τῶν εἰδωλοθύτων γέσθαι, idolothytis vesci.

LXXI. Sed existimat *Bellarminus*, etiam si non consuevissent gentiles ad aras idolorum discumbere, nihilominus tamen mensam dæmoniorum altare ipsum, non mensam communem significare. quæ vero? *Apostolus* enim, inquit, ubi mensam dæmoniorum nominat, non loquitur de mensâ, ubi comedeatur, sed de mensâ ubi immolabatur, Ἔ unde cibi immolati ad mensam communem deferabantur, ut manifestè patet ex collatione cum altari *Judeorum*: Videte, inquit, *Israel* secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes altaris sunt. Verùm hoc nihil aliud est, quàm τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι, h. e. principium petere. Id enim est, de

quo jam disceptatur, an h. l. intelligatur talis mensa, ubi immo-  
 latum fuerit, ac non potius ejusmodi, ubi epulæ consumtæ?  
 Epularem certè intelligi, supra planum feci, repeto argumen-  
 tum: Quæcunque mensa est participatio dæmoniorum & qui-  
 dem per bibitionem calicis dæmoniorum, & manducationem  
 eorum, quæ idolis immolata sunt, illa est mensa epularis, non  
 ara sacrificæ. At mensa dæmoniorum com. 21. est talis partici-  
 patio. Ergo. Major per se patet: neque enim in aris, sed in  
 mensis editur & bibitur. De Minore constat ex comm. 20. &  
 21. Nec contrarium efficitur commate 18. hîc enim nulla  
 collatio mensæ dæmoniorum cum altari Judæorum est. sed  
 conferuntur inter se Hebræi edentes de victimis, & Corinthii  
 edentes de idolothytis: item non altare, sed *κοινωνία* altaris &  
*κοινωνία* dæmoniorum. Ratio collationis hæc est: Quemadmo-  
 dum Judæi edentes de victimis *κοινωνοι* fiebant altaris: ita & Co-  
 rinthii edentes de Idolothytis, *κοινωνοι* fiunt dæmoniorum. Id  
 enim vult intentio Apostoli, ejusque probatio, & orationis co-  
 hæsi, supra exposita. Itaque malè confunduntur Subjecta &  
 Prædicata, quæ omninò distinguenda sunt, ne vis Paulinæ ar-  
 gumentationis pereat.

LXXII. Pergit purpuratus Pater, idemque, quod inten-  
 dit, colligi posse putat ex eo, quod Apostolus mensam gentiliū  
 vocat mensam dæmoniorū. *Vocat enim, inquit, eam mensam dæ-*  
*moniorū, quia sacra erat demoniis. Non u. vocaret mensā dæmonio-*  
*rū mensam communē gentilium, ad quam permittebat etiā fidei-*  
*bus accedere. Præterea non compararet mensæ Domini, si loquere-*  
*tur de mensā communi & profanā, nisi velit Chemnitius, mensam*  
*Domini esse mensam communem & profanam.* Verum (1) N. C.  
 Quamcunque mensam Paulus vocat mensam Dæmoniorum,  
 illa est altare. Neque enim omnis Dæmoniorum mensa altare  
 fuit. Mensa parata *גַּד* Gad, Esa. LXV, 10. (sive *τὸ γַד* cum  
 LXX. appelles *δαίμωνιον*; sive cum Hieronymo *Fortunam*; sive  
 cum Arabe *idolum*; sive cum Münstero *Jovem*, sive cum aliis  
 aliter) fuit mensa dæmoniorum, quia sacra erat dæmoni; at  
 altare non fuit. Vid. *Selden. de DIIS Syris Synt. l. c. l. p. 80.*  
*Græcorum ἱωὸς ap. Diog. Laërt. in Pherecyd. p. 84.* Roma-  
 norum

norū Anclabris, (vid. *Lauremberg. Antiquar. p. 27.*) Arnobiana illa Deorum simulacris ornata mensa, lib. II. adv. gent. fuerunt dæmoniorum mensæ; altaria non fuerunt. Mensa quotidie apposita sceptro Jovis, quod præcipuè colebant Chæronenses, teste *Pausania* in Bœot. f. 606. 607. fuit mensa dæmoniorum; altare non fuit. Mensa Eleorum dedicata Junoni ap. *Pausan.* in Eliac. l. f. 325. fuit mensa dæmoniorum; altare non fuit. Imò omnes mensæ, epulis sacris in honorem Deorum destinatæ, mensæ dæmoniorum fuerunt; at altaria certè non fuerunt.

(2) Deinde verò mensa illa dæmoniorum sacra erat dæmonii, non quod victimæ in eâ immolabantur; sed quod immolata comedebantur. (3) Quumque hoc modo fuerit sacra, per se patet, non fuisse *simpliciter* communem, ad quam patuerit aditus Christianis æque ac gentilibus, & quidem *jure*: nam contra sæpè *factum*, non nego. Sed improbat illud Apostolus usque ad eò, ut cum *noivwía* Domini consistere id nullo modo posse asseveret. Alia tamen ratio illius mensæ est, ad quam paulò post fidelibus permittit accedere comm. 27. 28. Hæc enim & privata erat, & ita apparatus, ut cognoscere in eâ apertè idolothyta non liceret, sed opus esset interrogatione vel indicatione alienâ. (4) Nec verò sequitur, quod Bellarminus sequi putat, mensam quoque Domini dicendam esse communem & profanam, si mensa dæmoniorum communis & profana fuisset. Nam in eo non comparantur inter se, sed quatenus utraque participatio est, hæc quidem dæmoniorum, illa verò Domini.

(5) Quanquam non ad eò absurdum est, mensam Domini appellare *communem*, si ista quid sibi vox velit, prius explicetur, quippe *commune* vel opponitur *privato*, ut ap. *Ciceron.* lib. I. *Offis.* *Utendum communibus pro communibus, privatis ut suis*; vel *sacro*, ut idem sit, quod profanum, impurum, vulgare & vile, ut *Act. X.* 14. 27. Hoc sensu pietas prohibet, Mensam Domini vocare communem: sed illo, auctoritas divina jubet. Christus enim *ἔειπεν*, cum hanc mensam institueret, jussit *omnes* ex calice bibere *Matth. XXVI.* 25. *Marc. XIV.* 23. Ergo mensa communis est. Et certè quo jure communis dicitur fides *Tit. I.* 4. & salus Judæ 3. (dicitur autem optimo) eodem communis quoque Eucharistia appellari potest.

LXXIII. Sed audiamus porrò, quid Bellarminus dicat. Dicit autem, *Apostolum, cum dehortans à mensâ demoniorum dicat, causam esse, ut fugiant cultum idolorum; ideo loqui oportere de mensâ, in quâ immolatum fuerit idolis, ex quâ qui sumserint cibum, idololatra habiti fuerint.* Mira certè argumentatio, quæ quomodo cohareat, vix apparet. Sic autem argumentari mihi videtur: Quicumque dehortatur aliquem à mensâ dæmoniorum eam ob causam, ne in idololatriam incidat, is de ejusmodi loquitur mensâ, in quâ immolatum fuit. At Paulus dehortatur Corinthios à mensa dæmoniorum ob istam causam. Ergò. Verùm Major nulla est. Neque enim (1) idololatria tantum committitur sacrificando idolis, sed & sacrificata publicè & cum offensione aliorum comedendo. Quod nec Bellarminus negare potest, quando paulò antè scripsit, *vesci idolothyris in idolio, esse fieri socium demoniorum, & interpretativè sacrificare dæmonibus.* Si igitur dæmonibus sacrificat, quisquis idolothyris in idolio vescitur, in idololatriam etiam incidet, quisquis hoc fecerit, adeoque non tantum mensa sacrificii, sed & sacrifici epuli homines ad idololatriam ducet. Rectè Thomas in 1. Cor. X. lect. 4. f. 90. b. *Ideo hos Apostolus hortatur fugere ab idololatria superstitione, vel ne sapientes comedant idolothyta cum offendiculo infirmorum, quibus idolatrare viderentur; vel ne ipsi infirmi idololatra sint, edendo in idoli venerationem. Fugite ergò ab idolorum culturâ, vel putativâ quoad esum sapientium; vel verâ quoad esum infirmorum.* Et lect. 5. f. 91. a. *Hoc est quod dicit; Nolo autem vos, qui fideles estis, socios fieri dæmonum, edendo scilicet de his, quæ idolis immolantur.* Rectè quoque Lyra in h. l. *Fugite ab idolorum cultura, non solum vitando idololatria actum, sed etiam ejus occasiones. & paulò post: Nolo vos socios fieri dæmoniorum, idolis immolando, vel idolatica in venerationem idoli comedendo, vel etiam comedendo indiscretè, infirmos fideles scandalizando, vel etiam gentiles in errore suo per talem comestionem confirmando.* Cum igitur tot modis Corinthii potuerint fieri socii dæmoniorum & in idololatriam incidere, nemo certè tam demens erit, quin intelligat, perire omninò vim Majoris, in qua unum tantum genus attingitur, quod in mensis sacrificiis seu altaribus positum

positum est. Vide, sed adhibitâ cautione, *Vetus Disp. Select.* Part. III. de Idololatriâ indirecta & participata, p. 234. seq. (2) Præterea temerè additur, idololatrias fuisse habitos, qui cibum sumserint de mensis, in quibus immolatum fuerit. Nullâ enim ratione, nullo antiquitatis testimonio planum fieri potest, aris accubuisse veteres idolothyta comedentes.

LXXIV. Unum restat, quod breviter expediemus. Sic verò ait: *Deniq; idem Paulus in eod. cap. dicit, licitum esse ire ad mensas gentilium & ibi manducare idolothyta, si quis ignoret, cibos illos esse immolatos: & simul dicit: Non potestis mensa Domini, &c. Ergo nisi secum ipse pugnet Apostolus, non potest per mensam dæmoniorum intelligere mensam gentilium, ubi solum materialiter comeduntur idolothyta &c.* Quid si concederemus totum? neque enim mensam dæmoniorum appellamus omnem promiscuè mensam gentilium, etiam eam, ubi solum materialiter comeduntur idolothyta; sed eam, ubi idolothyta eduntur tanquam idolothyta, i. e. tanquam cibi, qui ex eo, quod immolati fuerunt, putantur esse sacri, sive aliquid habere sanctitatis, *1. Cor. VIII. 7.* vel ubi eduntur tanquam sacrificii idolo, i. e. dæmoni oblati appendix cap. X. 19, 20, 21. Inprimis verò, si id fiat in templo idoli, vel publicis, imò etiam privatis conviviis, quæ fiunt in honorem Deorum. Cæterùm ubi tantùm eduntur idolothyta, tanquam cibi communes ad satiandum corpus, sine offensione aliorum, remotâ omni superstitione aut vanâ persuasione de in hærente iis sanctitate, aut cultu illorum beneficio dæmonibus præstando, ibi certè locum vix habere videtur mensa dæmoniorum, ratione eorum, qui ita edunt. potest tamen fieri, ut eadem quoque mensa dæmoniorum sit, ratione aliorum, qui simul accumbentes aliter edunt, in honorem scil. Deorum, & quasi sanctitatis aliquid cibis istis insit. Nulla itaque commainter 21 & 27 metuenda pugna; quemadmodum & infra ostendetur. Cæterum frustra hîc in B. Chemnitium invenitur, quasi is scripserit, liberum fuisse, mensa Domini & mensa dæmoniorum uti. Quod enim liberum dicit, id intelligit de idolothytis, quorum mentio præcesserat, quæ sine læsione conscientiæ extra casum scandali ab eo, qui libertatem Christianam

nam rectè intellexit, emi & comedi potuisse, cum Apostolo al-  
ferit. At Bellarminus illud *liberum* cum iis, quæ sequuntur, con-  
jungit, contra quàm B. Vir existimavit. quo ipso profecto non  
liber erit à fallacia *συγγεγραμῶν* seu compositionis, quia conjunxit  
separanda.

## Sectio V. Harmonica

LXXV. **P**ugnatum hæcenus cum Reformatis & Pontificiis  
est. Nunc an ipsa etiam secum hîc pugnet Scriptû-  
ra, videndum. Videri quidem posset pugnare, cum Apostolus  
hic neget, Corinthios participes fieri posse mensæ Domini &  
dæmoniorum, i.e. idolothytorum; commate autem 27 per-  
mittat eis ire ad mensas *ἀμίστων, infidelium*, & ibi manducare  
*πρὶν τὸ φάγεσθαι*, *omne quod apponitur*: apposita autem &  
idolothyta fuisse, declarat comm. 28. ubi à cibis illis apposis  
& sine *ἀνανησθῆναι* & curiosâ inquisitione manducandis excipit  
idolothyrum apertè indicatum. Verùm hæc, ut speciem habe-  
ant, nullam tamen veram pugnam comma inter 21 & 27 effi-  
ciunt. Hîc enim epulæ privatæ, illic publicæ potissimum intel-  
liguntur. hîc mensa dæmoniorum materialiter, illic formaliter  
consideratur. hîc à scandalo libera, illic cum scandalo con-  
iuncta significatur manducatio. hîc cibi per se, ut puri, illic per  
accidens, ut impuri spectantur. hîc iidem tantùm ad explen-  
dam famem, illic simul ad colendum dæmonem proponuntur.  
Confer ea, quæ modò dicta ad Obj. V.

LXXVI. Deinde pugna etiam aliqua videtur intercedere  
commati huic cum cap. XI, comm. 29. Illic enim indigni dicun-  
tur non posse calicem Domini & dæmoniorum bibere, & men-  
sæ utriusque participes fieri; hîc verò manducare dicuntur  
corpus & bibere sanguinem Domini ad iudicium. Sed salva res  
est. nulla & hîc pugna. Priori loco non intelligitur *ἀδύνατος*  
si impossibilitas physica, cum quâ pugnat factum; sed moralis,  
cui contrarium est rectè factum. Sive agitur ibi de jure & di-  
citur, quid non debeant facere Corinthii; in posteriori autem  
loco de facto agitur ejusque reatu.

Sectio

57  
Sectio VI. Porismatica.

PORISMA I.

**C**ommunio Christi mystica non potest consistere cum communione dæmoniorum.

II. Cultus soli DEO debitus non est inter verum falsumque numen partiendus.

III. Dæmones esse, non est negandum.

IV. Damnanda consociatio diversarum religionum est.

V. A Communione S. Cœnæ arcendi sunt hodierni Judæi, ethnici, hæretici aperti, manifesti scelerum ac flagitiorum, & horum similes.

VI. Nefas est, orthodoxos ab hæreticis apertis petere & accipere S. Cœnam.

VII. Conviva S. Cœnæ abstinere se debet ab operibus carnis & diaboli.

VIII. Laicis non est eripiendus calix.

IX. Calix Domini datus ad bibendum, & mensa Domini ad participandum, non ad circumferendum, adorandum, lustrandum, & hujusmodi abusus alios.

X. Christianus orthodoxus, salvâ conscientiâ non potest cum Pontificiis celebrare Missam, Processiones, Jubileæ.

XI. Ipsum corpus & sanguis Christi his in terris, cum celebratur S. Eucharistia, substantialiter, verè & propriè sunt præsentia omnibus sacri epuli convivis.

XII. Corpus & sanguis Christi in S. Cœnâ cum sacris symbolis, pane & vino, ore corporis sumuntur.

PSEUDOPORISMATA  
Reformatorum vel omnium, vel quorundam tantum.

- 1. Impii non possunt participare corpus Domini.
- 2. Christianis non licet habere altaria.
- 3. Sanguis Domini prestantior pars Eucharistia est.
- 4. Bona Ecclesiastica in Papatu donata, & post reformationem ei erepta, vel ab eo derelicta, non sunt in periculum divini executionem, aliosq; usus Ecclesiasticos & pios in orthodoxâ Ecclesia convertenda.

Pontificiorum.


- 5. Christiani habent altaria propriè ita dicta.
- 6. Christiani, præter sacrificium crucis, habent sacrificium propriè ita appellatum. &c.

Soli D E O Gloria.

EMENDANDUM.

Pag. 14. vers. 23. lege: Domini sanguinem.





the scale towards document

stantia, quanta quanta, non pertinet ad Sacra-  
mentum. In hoc enim instituendo Christus non  
les sanguinis sui proprietates & dotes, sed po-  
nionem personalem ei accefferit. Et licet san-  
naturalem discipulis suis bibendum dederit, non  
endum, quatenus naturalis; sed quatenus spe-  
personali tanquam sanguis Filii DEI, qui e-  
es ab omni peccato, 1. Joh. I, 7. & effundendus  
em peccatorum. Misa igitur præstantia natu-  
tere sanguini potest, quatenus pars integralis  
Sacramentali tantum agemus, quam *Salmasius*  
quatenus *pars Sacramenti* est, & quidem *potior*  
*ne meriti*, ita ut sanguinem pro nobis effusum  
*causam meriti Christi*, atque in hoc ipso eum  
t.

præstantiam sanguinis præ corpore in Sacra-  
mentum nos negamus his motivationibus: (1) pri-  
a est ἀρχαῖα: neque enim ullum ejus vestigi-  
pturâ reperire licet, sive τὸ ἐπιτὼν quæras, sive διὰ  
στὰ ἀρχαῖα: Scriptura enim corpus & san-  
& vinum, panis facit dignitatis & virtutis in Sa-  
mentum; etiam extra illud. Nam Christus tam  
quàm calicem: tam super illo gratias egit Luc.  
r. XI, 24. quàm super hoc Matth. XXVI, 27. tam  
omm. 26. quàm huic, qui propterea etiam voca-  
ολογίας, calix benedictionis, 1. Cor. X, 16. tam il-  
unc dedit discipulis: tam illum verè edi, quàm  
uffit: tam illum esse dixit corpus suum, quàm  
n suum: tam illud pro nobis frangi 1. Cor. XI, 24.  
di vitâ Joh. VI, 51. quàm hunc pro nobis effun-  
m peccatorum, Matth. XXVI, 28. Apostolus  
ath. XI, 24. tam in manducatione panis Eucha-  
vitione vini, mortem Domini vult annunciari:  
qui indignè edunt panem, quàm qui indignè bi-  
omini, reos pronunciat tam corporis, quàm san-  
comm. 27. &c. Atque ut sanguis dicitur ἀίμα  
D

1708